DE CAUSIS MAGNITUDINIS IMPERII TURCICI, ET VIRTUTIS AC FELICITATIS...

Uberto Foglietta, David Chytraeus, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
40 G
21

De cauſsis Magnitudinis IMPERII TVRCICI, ET VIRTVTIS AC FELICITATIS TVRCARVM in bellis perpetuæ: VBERTI FOLIETÆ lucubratio.

DE RE MILITARI ADVERSVS TVRCAS INSTITVENDA conſilium Augerij Busbequij.

SERIES IMPP. TVRCICORVM:
Proximi biennij res in Vngaria actæ.

Narratio BELLI CYPRII, *inter Venetos & Turcas ſuperioribus annis geſti.*



1594

LIPSIÆ
CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Di Gio Dom.co Moneglia

Illuſtriſſimo Principi &
Domino, Dn.

PHILIPPO II.

STETINI, POMERANIÆ, CASSVBIORVM ET Vandalorum Duci, Principi Rugiæ, Comiti Caicorum, &c. Domino ſuo clementiſsimo

S. D.

ILLVSTRISSIme princeps, Domine clementiſſime, Quod lætiores paulò, & magis quàm initio ſuperioris menſis adferebantur optabiles de bello, quod in Vngaria cum Turcis redintegratum geritur, expoſitiones; Illuſtr^{ma} Cels^{uo} T. mecum proximis diebus benignè communicare dignata eſt: reuerenter ac officiosè C.T. gratiam habeo, & teſtimonium eximiæ erga me beneuolẽtiæ & gratiæ tuæ, mul-

tis illuſtribus indicijs antea perſpectæ ac cognitæ, egregium & ſingulare agnoſco. Remitto autem, vt obſeruantiam erga te meam, & grati animi ſignificationem debitam, viciſsim declarem; cognati argumenti, de cauſsis Magnitudinis Imperij TVRCICI, & virtutis ac felicitatis Turcarum in bellis, libellum, ab Vberto Folieta diſertè & accuratè elaboratum. Quem, hoc tempore, belli Turcici fama omnium aures & animos perſonante, typis rurſum deſcribi curaui, quòd omnibus bonis ac intelligentibus, ac de præſenti Eccleſiæ & Reipub. ſalute, & ſtatu ad poſteritatem, ſollicitè cogitantibus, lectu non ingratum nec inutilem futurum arbitrabar. Amurates enim Imperator Turcicus, victoriâ noſtrorum de Turcis, ad Siſciam ſeu Siſeccum, menſe Iunio parta; adeo exacerbatus eſt, vt apertum iam bellum Cæſari Rodolpho

pho ſummis viribus intulerit;& non Siſeccum modò, à cuius obſidione Turci paulò ante depulſi, in Colapin præterlabentem demerſi perierant, per Beglerbegum Græciæ poſtea vi expugnarit, ac præſidiarios omnes, & in his, Germanos aliquot, conciſos in Colapin abiecerit: verùm etiam, VVeſprinum, episcopi olim ſedem, & Palotam, arces, non longè ab Alba Regali, ante 50. annos primùm à Turcis occupata, diſsitas, deditione acceperit, & Viennæ ipſi non obſcurè minitetur.

Quare multi prudentes viri, de Republica orbis Chriſtiani, & de Turcico Imperio & bellis attentè cogitantes, ſollicitè quærunt: Quænam (poſt Deum, mirando & nobis ignoto, ſed tamen ſapienti & iuſto conſilio, omnia gubernantē) CAVSSÆ ſint tantæ Magnitudinis Imperij Turcici, & virtutis ac felicitatis Turcarūm in bellis perpetuæ? Has, cùm

nuſquam alibi, prudentiùs, diſertiùs, & grauiùs, quàm in Folietæ Genuenſis lucubratione, breui quidem & ſuccincta, ſed admodum erudita ac pereleganti, expoſitas, vidiſſem: communicandas cum pluribus etiam alijs, quos Reipublicæ cura afficit iudicaui.

Scio autem Il. C. T. tali ingenio, prudentia, & in doctrinarum ſtudijs progreſſu feliciſsimo, ſæpè & grauiter de Imperijs diuinitus inſtitutis, eorumq; ordine, ſucceſsionibus, & vicibus varijs, ac mutationibus cogitare: & omnium orbis Chriſtiani & vicinorum regnorum hiſtorias, exploratè perſpectas & cognitas habere. Itaq; mittere ad C. T. hoc inſignis ſapientiæ Vberti Folietæ ſpecimen, antea etiam in Germania editum, ſed cuius exempla nunc rariùs appareant, volui. quod, ſi fortè recens non legiſſes, non ſine eximiæ voluptatis & vtilitatis fructu, te

reco-

recogniturum cenſebam. Addidi etiam, vt occaſionem ſuſceptæ à Folieta huius ſcriptionis candidus lector illuſtrius perſpiceret, Belli CYPRII, inter Turcas & Venetos ante viginti tres annos geſti, narrationem, à me vtcunq; delineatam. Quo defatigati Veneti, cùm poſt celebrem illam victoriam naualem ad Echinadas, in ſinu Naupacteo, de Turcis partam, nihilominus pacem cum illis, clàm Pontifice & Hiſpano confœderatis, feciſſent: Marcus Antonius Columna, qui nomine Pontificis, cum Iohanne Auſtriaco, claſsis Chriſtianæ dux fuerat, perſequendam aduerſus Turcas victoriam, conſtanti bello iudicans, ægrius ferre pacificationem, à Venetis factam, viſus eſt. Inde occaſio huius ſcripti, Folietæ, familiari ipſius, inſtituendi præbita eſt, in qua, nihil de Venetorum facto pronuncians, in genere, cauſſas feliciſsimorum in bellis,

lis,quæ Turci gerunt ſucceſſuum,ſapienter ac diſertè explicat, ad quas ſtatim te & alios legendo cognoſcendas accedere, quàm diutiùs meæ epiſtolæ, ab illius prudenti elegantia longiſsimè remotæ,ineptijs detineri malo: & ſimul Pietatis ardentioris ſtudium, & metum iræ ac iudicij diuini aduerſus noſtra peccata (quæ per Turcas, vt Iudæorum olim per Chaldæos, caſtigantur) & inuocationem DEI aſsiduam & ardentem,in meo & lectorum pectoribus excitari opto. Benè & feliciter vale. Rhodopoli. Pridie Natalis Filij DEI Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti,inchoantis in Eccleſia Chriſtiana annum 1594. Quem Tibi, & Illuſtriſsimo principi patri tuo Duci Bogislao, & toti Reipublicæ ac eccleſiæ Chriſtianæ, fauſtum, ſalutarem & tranquillum ex animo precor.

David Chytræus.

DE CAVSSIS MAGNITVDINIS TVRCARVM Imperij.

AD M. ANTONIVM COLVMNAM, DVCEM CLARISSIMVM, AVTORE Vberto Folieta Genuenſi.

MAGNO te dolore affectum ſcribis, Columna, ex pace cum Turca à Venetis facta; Chriſtianorumq́ue vicem pudere, quod Naualis victoria, tuo magna ex parte ductu & conſilio, qui feliciſſimi principis Iohannis Auſtrij ſocius in imperio fueris, à fœderatis principibus parta, quæ nulla poſt extinctum Romanum Imperium maior aut memorabilior fuit; ingensq́ue lætitia ex ea concepta, tam citò nobis luxuriauerit, ac ſpes, ad quam felicia initia piorum animos erexerant, tam breui euanuerit, tantorumq́ue conſiliorum apparatus ad nihilum reciderint. Ego verò Marce Antoni clariſſime, dolorem, & pudorem hunc puto omnibus bonis tecum eſſe communem. Venetorum verò conſilium quale fuerit, nec ſatis mihi exploratum eſt, nec ſi maximè ſit, pronunciare neceſſe habeo. Sunt enim, vt tibi notũ

 eſt,

eſt, qui illud vehementer improbent, grauiterq́ ferant, illos nimis celeri rerum deſperatione defeciſſe, ac ſeſe bello, illorum inprimis cauſſa ſuſcepto, ſubtraxiſſe. In quam ſententiam te quoque Columna, audio propendere. Sunt contra qui illos excuſandos ducant, dimicationem cum Turca non ſuarum eſſe virium cernentes, ceteraſq́ Chriſtianas prouincias ac Principes, nihil felici euentu, ac tam præclarè poſitis initijs excitatos videntes ad partem laborum & impendiorum capeſſendam, egregiamq́ occaſionem arripiendam, atq; arma cum fœderatis coniungenda, ſocietatemq́ Turcarũ, maritimis viribus, vt tum putabatur, nudatorum, pro tot acceptis omnium temporum iniurijs vlciſcendorum, atq; Europa expellendorum ineundam, Germaniamq́ inprimis ſæpè à Turcis bello petitam, illorumq́ armis continenter vexatam, atq; ingentibus detrimentis affectam, tum autem ob propinquitatem periculo proximam. Quare ea ſpe deſtitutos Venetos, ac proinde haudquaquam par ſibi vel fœderatorum ſocietate ſubnixis, cum Turcis certamen eſſe intelligentes, ſalutaria ſpecioſis anteferre fuiſſe coactos, rebusq́ ſuis priuatim conſulere, neq; in ſuam perniciem pertinaces eſſe voluiſſe. Diſputantur hæc in vtramq́ partem a multis, pro ſuo cuiusq; ingenio, atq; adeò pro ſuo cuiusq; ſtudio. Nos rem incertæ exiſtimationis in medio relinquentes, ſuo quenq; iudicio, noſtro non interpo-

terpoſito, vti ſinemus. Cùm præſertim ſuperuacanea hæc ſint, factumq́; infectum fieri non poſſit, inanisq́; omnis ſit, quæ ſine vllo fructu eſt, expoſtulatio.

Illud potius, quod fructum aliquem habere poteſt, vt tecum communicem, literæ tuæ occaſionem mihi dederunt, cogitationemq́;, quæ tacitè animum meum diu multumq́; verſauit, tibi aperiam, ac ſententiam de ea re, meam exponam, quam rem ſine vllo operæpretio fore omnino non puto. Siue enim tibi tali ſapientia, & vſu magnarũ rerum prædito viro probabitur opinio mea, tutum me putabo ab obtrectatorum calumnijs: ſiue minus probabitur, at occaſionem ſcriptis meis tibi dedero, errorem iam diu animo inſidentem mihi eripiendi. Ego enim cùm res Turcarũ Chriſtianis prouincijs formidoloſas ſemper exiſtimaui, tum verò hoc tempore in maximam illarũ admirationem verſus ſum, qui ingenti claſſe deleta, inmaniq́; roſtratarũ nauium numero partim depreſſo, partim à noſtris capto, ad hoc magna armamentorum & bellicorum apparatuum & naualiũ inſtrumentorum vi vndis hauſta, præterea haud exigua fortium bellatorum ac non obſcuri nominis Ducum, virorumq́; naualis rei peritorũ, quorũ vbiq; magna penuria eſt, prælio abſumta, quibus rebus amiſſis haud facile multorumq́; annorũ ſpacio vires recuperaturi viderentur, tantas tamen Turcarum eſſe facultates, vt nihil illi tanta

clade

clade animis infracti, continuò alteram non minorem ferè claſſem compararint, omnibusq́ rebus inſtructam & ornatam inſequentis æſtatis initio è portu emiſerint, quæ in conſpectum victricis noſtræ venire auſa ſit, ſpeciemq́ certamen non detrectantis præbuerit.

Sæpè igitur mecum quæſiui, quæ cauſſa tantæ imperij magnitudinis fuerit, quibusq́ artibus Turcæ in tantas opes venerint, tantiq́ illorum ſint in bellicis rebus progreſſus. Simul quare fiat, vt tot de noſtris hominibus ad illos continenter transfugiant; Chriſtianaq́ religione eiurata Mahumetanæ ſectæ nomina dent: cùm contra nulla aut perrara illorum ad nos fiant transfugia. Quæ mihi in hac re veniebant in mentem, hæc ſunt.

Principiò vtramq́ rem dolendam potius nobis eſſe, quàm miram videri debere. Nam tot populos eiuſdem religionis charitate, & neceſsitudine nobis coniunctos, cum tanta noſtra, ac multorum ex principibus noſtris ignominia, duriſsimo ſeruitutis iugo premi, neq́ vlla nos illorum cura attingi, nihilq́ de ope ferenda cogitare, ingemiſcendum vehementer eſt, ac lugendum, tantam mentibus noſtris oblatam cæcitatem, cùm non magis fratrum noſtrorum oppreſſorum miſeriæ nos commouere debeant, quàm earundem rerum nobis imminens periculum ſolicitos habere. Latius enim hoc incendium indies ſerpere videmus,

mus, ac proxima quæq; amplectendo ad vlteriora peruenire, neque immanem Turcarum & hiantem cupiditatem vllis opibus impleri, aut ampliſſimis & opulentiſsimis partis regnis quieſcere, ſed ex rebus captis ad alia ſibi gradum deinceps facere. Quæ res eò eſt ad timorem horribilior, quod cùm omnis ſeruitus tetra per ſe ſit res, ac morte ipſa durior, tum quæ à Turcis impendet, omnium, quæ vnquam fuerunt, atrociſsimam eſſe, & maximè execrandam conſtet. Neque enim Turcæ ſatis habent partas prouincias imperio ſuo ſubiugare, ſed omnibus quicunque ingenio, fortuna, opibus, dignitate excellunt extinctis, tum omni nobilitate vel trucidata, vel in remotiſsimas terras procul amandata, ad hoc omnibus præclaris artibus, omnibusq́; ornamentis detractis, illas in omni genere deformatas, exangues, enectas, ad ſummum ſqualorem, horridamq́; intuentibus ſpeciem redigunt. Et tot fratrum noſtrorum (quod alterum ad dolorem proponebatur) plorandam ne vicem, an nefarium ſcelus deteſtandum dicam? qui exigui, caduciq́; boni ſpecie decepti, ſempiterna ac cœleſtia bona relinquant, Chriſtianamq́; religionem de cœlo demiſſam, & ab ipſo DEI *immortalis Filio hominibus traditam, quæ vna ad ſempiternam beatitudinem, cœleſtiaq́; regna nobis iter patefaciat & communiat, cæteris omnibus vijs obſtructis, deſerant? Dolenda hæc quidem, vt initio dixi, nobis ſunt, Marce Antoni,*

omniq́;

omniq́ ope contendendum, ne eadem nobis quoque accidant, neue in eundem ſtatum ac locum, quo nullus eſt in miſerijs inferior, perueniamus.

Verùm tanta Turcarum gloria, totq́ue annorum ſelices ſucceſſus, nemini in rem acutè intuenti miri videri poſſunt. neque enim aut inuſitata eſt res, aut cauſſæ ſunt obſcuræ. Eæ planiores fient, ſi noſtros, & illorum mores, inſtituta, conſilia, diſciplinam, inter ſe conſerendo, ſigillatim perſequemur. Principiò illud inter omnes conſtat, in cæteris cauſis, quæ Regna, ac Reſpublicas ad magnas opes, magnamq́ potentiam extollant, atq imperium augeant, religionem primas obtinere. RELIGIONIS *autem duplex eſt munus, alterum præſtantiſsimum illud ac diuinum, cuius cauſſa religio ipſa hominum mentibus diuinitus inſinuata eſt, quod ſeſe illa nobis ad cæleſtem & immortalem beatitudinem, vt dixi, vnam & certiſsimam ducem præbet, quo dono nullum à diuino Numine ad homines maius peruenire poteſt, quodq́ eiuſmodi eſt, vt omnes opes & voluptates, omniaq́ regna, & imperia, & cætera humana omnia præ illo ſordida, & nullius pretij ſint. Quid enim (inquit Dominus) mortalibus profuerit orbis imperio potiri, atq interea animæ ſuæ damnum facere? Alterum illud eſt religionis munus, quod ad rempublicam gerendam, populosq́ in officio & legum obſeruatione continendos pertinet. ad quam rem, ſapien-*

tes viros, quiq́ ciuitates condiderunt, & reſpublicas inſtituerunt, religione vſos eſſe, omnium ſeculorum monumenta teſtantur. Quæ res non modò de religionis maieſtate nihil detrahit, ſed eam ſuſpiciendam magis facit, quod multiplex ſit eius vſus, ſeſeq́ illa in humanas quoq́ res gerendas, & moderandas, ac ciuitates conſeruandas, vtilitate ſua fundat. De primo illo nobiliſsimo munere, nullus nobis in præſentia erit ſermo, neque enim ad inſtitutam noſtram diſputationem quidquam pertinet. Illud tantùm obiter attigiſſe ſufficiat, omnem Chriſtianis hominibus ætatem eſſe debere in gratijs diuino Numini agendis, cuius beneficio eximij fuerimus, qui cœleſte hoc veræ religionis mentibus hominum prælatum lumen ſoli agnoſceremus altiſsimis errorum tenebris diſcuſsis, quibus religionis noſtræ expertium mentes cæcatæ ſunt, infinitoq́ interuallo Chriſtianam conditionem Mahumetanis præſtare, qui nefarij impoſtoris commentis decepti, impiaq́ dogmata ſequentes, à cœleſti itinere auerſi ad infima tartara ſempiternosq́ cruciatus præcipites rapiuntur. verùm hæc, vt diximus, alterius ſermonis ſunt.

Quare veniamus ad eam partem, quæ inſtitutæ quæſtionis propria eſt, in qua nihil hac quidem in parte refert, vtrum vera an falſa ſit religio. (nam hoc, vt diximus, ad animarum ſalutem tantùm valet) ſed omnia in eo poſita ſunt, vt religio

quæcunq́

quæcunq; tandem illa ſit, caſtè & integrè obſeruetur. Huius autem religionis inprimis præſidio, regna & populos ad ampliſsimas opes peruenire, atque ad altiſsimum dignitatis & potentiæ locum aſcendere, cum firmiſsima ratione demonſtratur, tum clariſsimis exemplis comprobatur. Nam cum præcipua ſit augendi Imperij rei militaris ac bellicæ virtutis via; res pòrrò militaris duabus inprimis rebus contineatur, obedientia, & diſciplina: vtriusq; rei fundamentum eſt religio. quo factum eſt, vt omnes populi, quicunque ad magnam potentiam & gloriam peruenerunt, ijdem religionis diligentiſsimi cultores fuerint. Verùm, vt cæteros omittam, Romanorum exemplo contentus ero, qui omnibus populis non minus humana ſapientia, quàm opibus, fortitudine & gloria præſtiterunt. Intelligentes igitur viri ſapientiſsimi, ad rempub. amplificandam, imperiumq; propagandum, maxima ac præcipua eſſe religionis mometa, de nulla re tantopere laborarunt, quàm de eius cultu tuendo, diuiniq; Numinis metu, & opinione populo inſinuanda. Quare religioni tantum ſemper tribuerunt, vt nihil neq; publicæ, neque priuatæ rei, niſi Dijs auctoribus gererent. Nihil igitur incboabant, nullum negotium ingrediebantur, nullam expeditionem ſuſcipiebant, nullum prælium inibant, niſi auſpicatò. Nihilq; aliud agebant votis nuncupandis, & perſoluendis, templis dicandis, prodigijs,

quæ

quæ nunciabantur, quibus nunquam à ſapientibus illorum ſeculorum viris abrogata eſt fides, procurandis: pace Deorum ſacrificijs & ſupplicationibus expoſcenda, quàm vt populo perſuaderent, omnia Deorum nutu fieri & regi; eosq́ꝫ omnia humana animaduertere, ac cum omnium ſcelerum, tum ſui inprimis numinis ſpreti ac violati acerrimos eſſe vindices. Quo fiebat, vt Romanus populus nullum crimen atrocius duceret, quàm Iuſiurandum violare. Cuius quanta fuerit religio, vel illo exemplo clariſſimè patet, cùm Conſul, vt populum à legum cura, quas tribuni plebis promulgarant, & à concionibus auerteret, ſeſe legiones in expeditionem ducturum pronunciauit. Cuius militiæ detrectandæ cum nulla eſſet via, neqꝫ in tribunitia interceſſione quidquam præſidij, quod in verba Conſulis iam antea iuraſſent, nullaq́ꝫ oſtenderetur ſeſe religione exoluendi ratio, quàm Conſule de medio tollendo; conſilium ceperunt Conſulis interficiendi. Et habuiſſet res effectum, niſi edocti fuiſſent, nullam ſcelere religionē exolui, leuius videlicet cædis, quàm violati iuriſiurandi crimen putantes, quæ res milites dicto Imperatorum audientes faciebat, in cuius verba iurauerant. vt is populus, qui in pace togatus tam contumax eſſe ſoleret tamq́ue ad ſeditiones promptus, idem in bello tam mitis ac continens eſſet, iuriſiurandi religione in bello videlicet obſtrictus, qua in pace erat ſolutus. Cuius

tanta vis erat, vt eius obſeruationem ſuæ ipſorum animæ anteferrent, ceruiceſq́; ſecuri haud retractantes ſubijcerent, ſi quando male geſta re Conſul more militari in decimum quemq́; capitali ſupplicio animaduertere conſtituiſſet. Quare fiebat, vt ancipiti mortis timore, & ab hoſte & ab Imperatore propoſito milites ſtrenuam & audacem operam in prælio nauarent, ac potius quàm aciẽ deſererent, fortiter pugnantes occumberent, ne incertæ mortis metu, cuius periculum virtute, & audacia diſcutere poterant, in certam, cuiuſq́; effugiendæ omnis a religione præcideretur ſpes, inciderent. Nemo igitur ſanus negauerit, religionem cùm totius publicæ, tùm inprimis bellicæ rei firmiſſimum eſſe fundamentum.

Ab vtris porro ſanctius, & caſtius, à Turcisne, an à nobis hæc ipſa religio colatur, malo in aliena exiſtimatione relinquere, quàm ipſe ſententia mea ſtatuere. nonnulla tantum perſequar, quæ mihi veniebant in mentem. Principio cùm illæ religionis præcipuæ ſint partes, vt omnia ad diuinum Numen referantur, eiuſq́; voluntate omnia humana regi, & gubernari putemus; mirum eſt quantum Turcæ ea in re nos antecellant, quamq́; hanc opinionem mentibus penitus inſitam habeant, qui diuinæ prouidentiæ tantum tribuunt, vt ea in re nimij ſint, quippe qui omnia ad fati neceſſitatem reuocent nullis huma-

nis

nis conſilijs euitabilem. Quare vnicuique terminum vitæ fato ſtatutum putant, qui neq; proferri, neq; contrahi poßit: proinde cum præſtituta hora mortis venerit, eam omnino eſſe obeundam; ac nihil ominus eſſe moriendum, ſi in cubiculo tuo clauſus procul ab omni diſcrimine fueris, quàm ſi in medio pugnæ ardore inter mille in te vnum intenta tela verſeris: ſi non venerit, te ab eiusdem telis iugulum tuum petentibus nihilominus, quàm in cubiculo tutum fore. Quæ opinio etſi quod ad fati neceßitatem attinet, improbanda eſt, tamen ad id, quod nunc agimus, illud habet boni, quod Turcas in prælijs ineundis, ac diſcriminibus adeundis audaciores, ac minimè retractantes facit, mortis metu dempto, cuius periculum non à diſcriminibus, ſed à fato pendere putent. Verum omnia humana in diuina moderatione verſari, omniaq; à diuino Numine pendere, pia inprimis, ac vera eſt opinio, cuius retinentißimi eſſe debemus, omnesq; cauſſas illam labefactare ſolitas diligenter vitare.

Inprimisq; cauere, ne vllis Philoſophorum diſputationibus contraria ſuadentium ab illa abducamur, eorum præſertim, quorum ſecta maximè viget, & in flore eſt, hoc eſt, Peripateticorum. Quorum magna pars de Diuina natura ita diſputant, vt illam nulla humanarum rerum cura attingi contendant, neq; vllam illarum procurationem habere, aut verò habere poſſe, quæ etiã

ſordidiſſima res ſit, tantiq́; Numinis maieſtate indigna, quæ impia opinio religionem prorſus tollit. Fruſtra enim diuinum Numen precibus, votis, ſacrificÿs, omniq́; religionis cultu nobis propitium facere contendimus, eiusq́; pacem fruſtra expoſcimus, & opem imploramus, ſiquidem omnia hæc ab illo non animaduertuntur. Quo impedimento plane carent Turcæ, quibus Philoſophiæ ſtudium legibus eſt interdictum. Quod quamquam alia de cauſſa improbum veteratorem feciſſe non ſum neſcius, nimirum ne legum ſuarum vanitas appareret, vtile tamen Turcis cōmentum eſt, ad religionis ſuæ opinionem tuendam. Omnino Philoſophiæ hoc ſtudium, vtile ne, an damnoſum mortalibus ſit, neque huius loci, ac magnæ & longæ diſputationis eſt. Nosq́; in eo inſectando in tribus illis libris, quos adoleſcentes edidimus, nimium fortaſſe acres & vehementes fuimus ardore ætatis incitati, ingenioq́; ac ſe efferenti copiæ indulgentes, qui libri multis in locis corrigendi ſunt, resq́; alio ſcribendi genere tractanda fuit, neq; acri illo & vehementi agitanda, ſed æquabili & ſedato quærenda.

Hæc igitur Turcarum animis penitus inſita opinio illos diuini Numinis metuentes facit, illorumq́; ſtudia ad religionem excitat & incendit. Qua re fit, vt erga erroris illum plenum cultum, omnia illorum falſæ pietatis, & diligentiæ officia in omnes partes planè conſtent. Nam templa

ſumma cum veneratione frequentant, diuini Numinis pacem atq; opem demiſſiſſimè, atq; humi proſtrati expoſcunt, res ſacras venerantur, ſacerdotes non modò legis ſuæ, ſed noſtros quoq; in tanto honore habent, vt illos quoquo modo violare nefas putent. Quæ res innumerabilibus piratarum exemplis, quod mirandum ſit, patet, quorum pleriq; cum aliquem ſacerdotem de noſtris cepiſſent, eum è veſtigio dimittere ſolebant, ne ſe grauiſſimo crimine ſacerdotis & miniſtri eius retenti Deo immortali obſtringerent. Cauentq́; diligenter, ne quid contra legem apertè admittant, eamq́; maximam offenſionem inprimis vitant, ac ſi quis eius criminis conuincatur, in eum ſeueriſſimè animaduertunt. Nulla igitur in Deum immortalem conuicia apud illos audiuntur, nulla ſunt adulteria, nihil denique in quo legis violatæ, aut negligenter adſeruatæ ſit offenſio.

Quanquam non ſum neſcius, atrociora flagitia, impia & execrabili; illorum lege illis permitti. Cuius obſeruationis illuſtre exemplum noſtra ætate à ſummo imperatore Solimano editum non pigebit referre. Nam cùm vna ex puellarum gregibus, quas ſummi Imperatores intra ſepta in concubinatu habent (licet enim per Mahumetis leges concubinas habere quot plurimas alere poſſunt homines) frequentius quàm cæteræ cubitum accerſita, ſummum Imperatorem ſui amore ca-

ptum ſenſiſſet; vaſro commento aſſecuta eſt, vt ab Imperatore manumitteretur (in ſeruitute enim Imperatoris ſunt pueri, & puellæ, qui ſeptis illis includuntur) cumq́ue poſtea lectica, vt aſſolet, miſſa acccerſeretur, mirari ſe illa ſummi Imperatoris rationem vehementer reſpondit, qui tantæ maieſtatis princeps ſacram Mahumetis legem, qua liberarum concubinatus diſertis verbis probibeatur, apertè violare non vereretur, eaq́ue in re apud populos, quorum oculi in illum eſſent coniecti, tam grauiter offendere. Qua reſponſione commotus Imperator libidinis impetu in præſentia inhibito, poſtero die quæſiuit ex legis peritis, an per legem liceret, liberas mulieres in concubinatu habere. quod cum illi negaſſent, Imperatorq́ue puellæ, quam perditè amabat, conſuetudine carere non poſſet, illam vxorem duxit. Non neceſſe habeo nunc contrà referre, vt ſeſe hac in re habeant Chriſtiani, ne vulnera, quæ ſanare non poſſum, attrectando refricem.

Proximum à religione locum in re publica gerenda, atque in Imperio amplificando obtinet Diſciplina. In qua nihil eſt, quod vlla inter nos & Turcas ſuſcipiatur comparatio, cùm apud illos ſumma, apud nos fermè nulla prorſus ſit. Illud enim conſtat, ſummum Imperatorem ſtatis temporibus conquiſitores omnibus Imperij prouincijs circũmittere ad puerorum delectum habendum, qui omnibus primæ ætatis pueris ciuitatis in con-

ſpectum

ſpectum adductis, quorum indoles ex forma, habitu membrorum, totaq́ corporis ſpecie & aſpectu probatur, eos deligunt, eorumq́ greges in Regiam adducti in diſciplinam traduntur, in qua iaculandi, equitandi, arma tractandi, omnes denique militiæ artes docentur, animiq́ ac corporis vires longa exercitatione corroborantur, neq́ quiſquam ad militiam admittitur, aut ad bellica munera aſſumitur, niſi longa hac diſciplina, & vſu aſſuefactus. At noſtri contrà exercitus hominibus militarium rerum rudibus, omniſq́ diſciplinæ expertibus conſtant.

Huius autem diſciplinæ triplex eſt vſus, & vtilitas. Prima eſt hæc ipſa rerum bellicarum peritia, ac firmus corporis robur, quæ in Turcis tanta ſunt, quanta aßidua & diuturna exercitatio efficere potuit. Cuius roboris argumento ſit illud ſæpe editum ſpecimen, ſagitta ex arcu Turcico tanta contentione emiſſa, vt ſummam remi partem, atque à ſcalmo interiore craßitudinis ferè dodrantalis transfigat, ita vt cuſpis ſpiculi ex altera parte appareat. At noſtri contrà milites, ad militares ordines temerè, ac ſine delectu adſcripti, omniumq́ rerum ignari, tum vſus militares atq́ artes diſcunt, cùm illas multò antè perceptas explicandi tempus venit.

Altera eſt illa vel ſumma vtilitas, laborum inopiæq́ tolerantia, animuſq́ aduerſus omnia mala, rerumq́ penuriam inuictus. Aßidua enim

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

exercitatione aſſuefactus animus nullo labore vinci poteſt, tenuiſq́ victus, ac cultus, ſummaq́ parſimonia, in qua educati ſunt, pauciſſimis ac neceſſarijs rebus contenta eſt, maximaq́ copiæ minimis commeatibus aluntur. quo ſit, vt in bello expeditiores ſint illorum exercitus ac claſſes, haud magna ſarcinarum atq; impedimentorum vi agmen tardantibus. At noſtri exercitus & claſſes ingenti vaſorum, & ſupellectilis mole grauantur, militeſq́ ad laborem inſuetum ſubitò deficiunt, neque, niſi omnium rerum copia circumfluant, poſſunt durare, neq; neceſſario victu contenti, delicatum quoque quærunt, eoq́ iam turpitudinis res proceſſit, vt maior penè ſit conuiuiorum, & omnium apparatuum in bello & expeditionibus, quàm in pace & in vrbano ocio luxus. Pudet referre, iam niuem ad potum refrigerandum claſſibus circumuehi.

Tertia eſt, Obedientiæ vtilitas, qua virtute res bellica inprimis continetur. at hæc apud Turcas tanta eſt, vt neque noſtra, neque vllis ſæculorum ætatibus apud vllas gentes maior fuerit, cùm contra nos contrario vitio flagitioſè laboremus. Contumaces enim ſunt milites noſtri, neq; imperijs obedientes, quippe qui nulla diſciplina manſuefacti ſint, nulloq́ pœnæ metu in officio contineantur, vt Chriſtianorum caſtra, ipſorum militum noſtrorum ſeditionibus, quàm hoſtium oppugnationibus infeſtiora ferè ſint. Quo vitio ne

Duces

Duces quidem ipſi, ac proceres carent, quorum plerique deprauatis cupiditatibus, ac priuatæ ambitioni, quoque nihil fœdius eſt, quæſtiui ſeruientes, ac bellum cauponantes rempublicam produnt, nullamq́ principibus ſuis non modò fidelem ac fortem operam nauant, ſed alterius gloriæ inuidia & obtrectatione, ad rem bene gerendam ſibi ipſis ſæpè mutuo impedimento ſunt, nulla pœnæ expectatione à tanto flagitio deterriti, vt nullus iam ſit apud nos, quo deſcendamus, inferior dedecoris & infamiæ locus.

Iam verò Virtutem, quæ in cauſis Imperij amplificandi præcipua eſt, ſi maiorem in Turcis, quàm in noſtris hominibus eſſe dixero, & iniurioſus in gentem noſtram fuerim, & magnam inuidiæ molem mihi conflarim. Illud tantum dicam, virtutem maiore in honore eſſe apud Turcas, illiq́ vni eſſe in rebus militaribus locum, iisq́ tantum hominibus munera mandari, quorum conſpecta virtus, atq́ in rempublicam merita, per omnes deinceps honoris gradus ad ſummos honores extulerint, cum apud nos nobilitas altiſſimum locum teneat, eosq́ maximis muneribus præfici videamus, qui cùm nullum ſui documentum dederint, ſola nobilitate familiæq́ ſplendore eniteant. quæ res indignationem ſtrenuorum ac fortium virorum accendit, quorum multi Chriſtianam militiam deſerentes, in qua nullum virtuti ſuæ locum eſſe videant, omnemq́ ſibi

creſcendi ſpem præciſam intelligant; ad Turcas ſe conferunt, quos virtutis fama ſpectatos Turcæ complectuntur, omniq́ honorum genere proſequuntur, & ad ſummos militiæ gradus extollunt. quippe qui qualis ſit vir, non vnde ſit, quærendum putent, neq; virtutem tanquam fortunæ bona hæreditariam relinqui didicerint. Equidem non nego nobilitatem in magno pretio eſſe debere, magnamq́ vim habere ad hominum animos ad virtutem excitandos, magnumq́ ijs hominibus, in quibus virtus ſit, addere ornamentum. Verùm illam virtuti præferri; eaq́ de cauſſa, grauiſſimas reipublicæ partes, ac bellicarum rerum ſummam hominibus mandari, qui ſola nobilitate commendentur, hoc planè improbandum eſt, reiq́ publicæ damnoſum. Filios ac fratres Regum eximios facio, quibus ſummum Imperium mandari, non modò non damnoſum, ſed vtile in primis reipublicæ eſt. nam cum in omnibus humanis rebus plurimum auctoritas valet, tùm verò in bello tanta ſunt illius momenta, vt maxima rerum pars in illa poſita videatur, quippe quæ obedientiam comitem habeat, qua rem militarem inprimis contineri diximus. Quare illorum imperijs milites & Duces haud detrectanter parent, quippe quorum ſumma dignitas omnem inuidiam & obtrectationem exuperet, cupideq́ illis operam nauant, quod egregia virtutis facinora in ipſorum met principum oculis edita,

neq;

neq; latere poſſint, neq; obtrectatorum calumnijs obſcurari aut eleuari, ſed debita præmia expectēt.

Poſtremò, pœna & præmio reſpublicas inprimis contineri conſtans eſt veterum ſententia, qua vtraq; in re mirum eſt, quanto interuallo Turcis ſimus inferiores. Verùm ego me magnam inuidiæ molem nomini meo conflaturum, grauiſſimeq́; apud multos offenſurum intelligo, ſi Turcarum rationem noſtræ anteponerem, à qua re tantùm abſum, vt noſtram longè humaniorem, & præclariorem eſſe ſtatuam. Turcarum enim omnia conſilia & inſtituta ad bellum referuntur, contra apud nos pacis & ocij ſtudia potiora, ac maiore in pretio ſunt, maioreq́; opera & diligentia, ac maiore pecuniarum & temporis impenſa excoluntur.

Principio, ingens eſt apud nos Sacerdotum ac Monachorum numerus, hiq́; ampliſsimas opes, & magnam potentiam poſsident, ac ſplendidiſsimum cultum tuentur, latiſundijsq́; & opulentiſsimis ac frequētiſsimis cœnobijs ſuis omnes Europæ prouincias occuparunt, maximaq́; fructuum & vectigalium noſtrorum pars illis ceſsit. Qua in re laudanda inprimis eſt maiorum noſtrorum pietas & ſapientia & qui in ſacerdotum ordinem, & in ſacras res tam liberales fuerint, quiq́; tantam opum ſuarum partem in diuinum cultum ſplendidè tuendum, atque in egentium inopiam ſubleuandam, bonarumq́; artium, &

doctrinæ

doctrinæ ſtudia fouenda & alenda tam largè contulerint.

Præterea, Iudicia apud nos maioribus contentionibus, maioreq́; eloquentia ac longiore temporis tractu exercentur, quare magnus eſt apud nos iuriscōnſultorum, magnus iudicum, oratorum, cauſsidicorum, ſcribarum numerus, quibus ampliſsima præmia, & magnæ mercedes ſunt conſtitutæ, forenſisq́; opera & induſtria haud exiguam Chriſtianarum opum partem ad ſeſe trahit.

Iam verò litterarum, & doctrinæ Gymnaſia frequentiſsima apud nos ſunt, quæ magna impenſa ipſa quoque tuemur, multiq́; ſunt, qui ad illa ſe conferant, in doctrinæq́; ſtudijs, quæ in magno honore eſſe videant, aut omnem, aut magnam ætatis partem ponunt.

Poſtremò quanti, Dij immortales, ſumptus fiunt in manuum artificia, quàm immanes apud nos ſunt ſubſtructiones, quanta & publicorum, & priuatorum ædificiorum copia & magnificentia? quanta ſignorum, tabularum, ſtragulæ, cælati argenti, ſupellectilis vis! quantus domeſtici, ac quotidiani cultus ſplendor! quanti conuiuiorum apparatus! quantus in veſtitu, & in omnibus rebus luxus! quantis mercedibus eiuſmodi rerum artifices aluntur! Quæ omnia vt Chriſtianas prouincias mirè exornant, atq; vt Turcæ rudes, & agreſtes præ nobis videantur, faciunt; ita bel-

licis

licis rebus & augendo imperio minimè apta ſunt. magnam enim opum Chriſtianarum partem in bellum inſumendarum auferunt.

At contra apud Turcas hæc omnia tenuia, aut nulla ſunt. nam ſacerdotum numerus exiguus eſt, cultusq́ pertenuis, neceſſarijs tantummodo rebus ſuppeditatis. Iudicia nulla contentionibus agitantur, breuiq́ ac ſemel, aut ſummum iterum cauſſa dicta, ſine hac tanta commentariorum congerie forenſes cauſſæ tranſiguntur, vt nihil neceſſaria ſit tanta patronorum & ſcribarum copia. nulla ſunt apud illos Monachorum inſtituta, nulla ædificiorum moles, nullus in quotidiano cultu ſplendor: victus tenuis, neque vlla coquorum artificio elaboratus; neq; enim Turcæ iſta curant aut ſuſpiciunt, ſed omnia illorum in bellicos vſus inſumuntur, omnesq́ opes, ac præmia viris militaribus cedunt. Hi ſoli apud illos ſunt in honore, vt mirari non debeamus, ſtrenuos & bellicoſos viros Chriſtiana militia relicta, cui perexigua præmia ſunt propoſita, quorum etiam pauciſsimi participes ſunt, ad eam ſeſe conferre, quæ ipſos dignitate & opibus augeat.

Cùm igitur vna tantũ ſit apud Turcas ex bellicis rebus creſcendi via, haud mirum videri debet, omnes illorum curas in eam rem intentas, quæ vna ipſos ad honores, opes, potentiam perducat. Quo fit, vt illi bellica gloria, & rerum geſtarum magnitudine cæteris gentibus antecellant,

lant, ingensq́ apud illos ſit militum, & fortium virorum numerus, magnæq́ equeſtres & pedeſtres copiæ alantur, illorumq́ nomen omnibus ſit terribile, atq; in bellis, quæ pro augendo Imperio continenter ſuſcipiunt, victores euadant. At noſtrorum hominum ſtudia in varias res diſtrahuntur, operaq́ & induſtria in multis artibus occupatur, vt perexigua pars bellicis ſtudijs poßit vacare. Manuum enim infiniti generis artificia, literarum ſtudia, rerum ſacrarum profeſſio, maximam Chriſtianorum hominum partem à bellicis cogitationibus auocant. Eam enim viam homines libentius inſiſtunt, quæ planior & tutior, minusq́ laborioſa eſt, ac diſcriminibus prorſus caret: ad illudq́ vitæ genus ſeſe conferunt, quod ad eoſdem honores, & ad eaſdem opes nihilominus eos extollit. quo fit, vt vrbes noſtræ mercatorum, opificum & ſellulariorum copia ſint refertæ, omniaq́ Philoſophorum, & Theologorum diſputationibus, & forenſibus clamoribus perſonent. Quæ res vt orbem noſtrum mirè exornant, ita rem bellicam eneruant, exiguaq́ proinde eſt apud nos bellatorum copia, viresq́ ſunt imbecillæ. Qua in re illud pro certo, ac ſubducta ratione, affirmare non dubitabo, ex ea ætate, quæ ſit armis ferendis, vix centeſimum quemq; apud nos militaribus ſtudijs ſeſe dedere, cùm contra Turcarum longè maxima pars militarem rem colat.

POENÆ verò quarum metus ad ciuilem

&

& militarem diſciplinam continendam inprimis valet, apud nos quidem æquè atq; apud Turcas conſtitutæ ſunt: Verum non in legum decreto, ſed in obſeruatione ſanctitas diſciplinæ poſita eſt. At nos legum ſeueritatem, aut eloquentia vafriſq; patronorum, & oratorum commentis vitamus, aut gratia inflectimus, aut potentia perfringimus. Contrà apud Turcas nulla eſt aut culpæ deprecandæ via, aut pœnæ ſubterfugiendæ ſpes. Quo fit vt omnia apud nos corrupta, & ſoluta ſint, ſummaq; ſit omnium rerum licentia, atq; omnia pro animi libidine adminiſtrentur, militesq; pœnæ metu liberi omnia ſolutè & negligenter agant, ad hoc omnia ſeditionibus & rixis miſceant, neq; dicto audientes ſint, verbis tantum feroces, factis ignaui, in aciemq; producti prælium vix initum turpiter omittant, ac primis ordinibus leuiter impulſis, omnes ſeſe, ne tentata quidem pugna, in fœda & effuſam fugam coniÿciant. Duces verò apud nos multi ad huc quidem præſtantes ſunt, ab omniq; ſorde liberi atq; omni infamia intacti. Sed quid tandem faciant viri quamuis egregÿ in tam corruptis moribus? impar illorum virtus adultis ſæculi vitÿs eſt. Quanquam ex ſummis quoq; ducibus nonnullos ſcimus priuata conſilia, priuataſq; cupiditates, bono publico anteferre. Inferiorum verò ordinum Ductorum haud minora, quàm militum ſunt flagitia, quorum maxima pars bellum ad

quæſtum

quæſtum conuertunt, militiamq́; nundinantur. Stipendijs enim interuerſis numerum militum mentiuntur, alijs in locum eorum, cum exercitus luſtratur, ſubornatis. Quo fit, vt copiæ noſtræ ſtipendijs frequentes raræ ſub ſignis ſint. Omnibus eiuſmodi vitijs caſtra Turcarum carent, quietiſſimi enim ſunt milites, atq; Imperijs obedientiſſimi, militariaq́; munera impigrè obeunt, atq; omnem ferociam prælio reſeruant, quod ingentibus animis ineunt & ſuſtinent, neque primis aduerſis rebus ſecundaq́; hoſtium fortuna franguntur, aut aciem deſerunt, ſed maiore legum & pœnæ, quàm hoſtis metu continente, fortiſsimè dimicantes, locumq́; aſsignatum tuentes fortunam ſe vertentem expectant, omniaq́; vltima experiuntur. Quippe quibus atrociſsimi ſupplicij horribili ac fœda ſpecie animo obuerſante, fixum ac ſtatutum eſt, aut victores diſcedere, aut ſi virtuti fortuna inuiderit, honeſta morte, atq; ab hoſte oblata, in acie potius cadere, quàm domi collum ſecuri ſubijcere, aut iugulum carnifici præbere. Cum militum obedientia Ducum virtus certat, qui nulla priuata conſilia à publicis ſeparata habent, omniaq́; ab illis, & fortium virorum officia, & egregiorum Ducum munera in rempublicam & in ſummam Imperatorem extant. Habes Columna clariſsime, quæ mihi de Imperio Turcarum in mentem venerunt. ea ſi probabis, lætabor: ſin minus, comprimes, ne ea

in

manus hominum veniant, quæ de iudicij mei exiſtimatione ſint detractura.

DE NOBILITATE TVRCICA.

Ex Augerij Busbequij Itinere Amaſiano.

NVLLVS *in frequentiſsima Cæſaris Solymanni aula & tanto exercitu Nobilis niſi ex ſuis virtutibus, & fortibus factis. Natalibus nemo à reliquis diſtinguitur: Honos cuiq; pro muneris & officij, quod adminiſtrat, ratione defertur, nullum ibi de loco certamen; muneris genus, quo fungitur, ſuum cuiq; locum aßignat. munera verò & officia princeps ipſe diſtribuit. in quo nõ diuitias, non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cuiuſq; aut multitudinis iudicium moratur, ſed merita conſiderat; ſed mores ingeniumq́; atque indolem intuetur. ex ſua virtute vnuſquiſq; ornatur; ijs muneribus, qui ſunt ad ea obeunda idonei, præficiuntur. ſuos ibi quiſq; natales, ſuam fortunam, quam fingat pro arbitrio, in manu habet. qui rerum primas à principe tenent, ferè ſunt paſtorum aut bubulcorum filij: de quo, tantum abeſt vt eos pudeat, etiam inter ſe gloriantur; eoq́; plus ſibi tribuunt, quo minus maiorib. aut natalium fortunæ debent.*

neq; enim aut naſci aut propagari traducíue virtutem, putant: ſed partim à Deo dari, partim bona diſciplina multoq́; labore & ſtudio comparari: vtq́; paternam artem nullam, non muſicam, non arithmeticam, non geometriam, ſic nec virtutem ad filium aut hæredem tranſire; nec animam ex ſemine paterno ſuſcitari, vt filium patris ſimilem naſci neceſſe ſit; ſed cælitus in corpus infundi credunt. Igitur ea in gente dignitates, honores, magiſtratus, virtutum & meritorum præmia ſunt: improbitas, ignauia, inertia nullo honore penſantur, iacent, contemnunturq́;. Ergo illi rebus bene geſtis florent; dominantur: imperij fines quotidie proferunt. apud nos alijs viuitur moribus, virtuti nihil eſt relictum loci: omnia natalibus deferuntur: opinione natalium omnes honoris aditus occupantur. ſed de his rebus aliàs fortaſſe plura.

AVGE-

AVGERII BVS-
BEQVII
EXCLAMATIO:
Siue
De re militari contra Turcam inſti-tuenda Conſilium.

Captis à Cyro, Perſarum Rege, Sardibus; cùm ea vrbs diriperetur, multaq́ꝫ paſſim cædes fieret: memoriæ proditum eſt, vnum de Cyri militibus in ipſius Lydorum regis Crœſi cubiculum penètraſſe; ignarumq́ꝫ quis eſſet, ſtricto gladio, mortem ei afferre voluiſſe: qua re commotum puerum Crœſi filium, qui aderat, ad id tempus mutum & elinguem, ſoluto derepente linguæ impedimento clamorem ſuſtuliſſe: eaq́ꝫ primùm verba protuliſſe, quibus militem ab occidendo rege deterreret: ita pietatem in patrem & periculi magnitudinem ſermonis potentem feciſſe eum, cui vſum eius ad id tempus natura negauiſſet. Atqꝫ haud ſcio an mihi, quanquam in re diſſimili, ſimile quiddam vſu veniat: vt quem pietas dicendi rudem & imperitum, & qui publicè verbum nullum vnquam fecerim, diutius mutum eſſe non patiatur: ſed in grauiſſimo patriæ diſcrimine vociferari & exclamare cogat;

non vt hoſtem eius iugulo ferrum intentantem deterream (neq; enim id eius immanitas patitur) ſed vt eam moneam vt ſibi caueat: & ſimul ciues meos commonefaciam, vt, dum tempus eſt, ei opem ferant & ſaluti eius conſulant. Nam (Dij veſtram fidem!) quid hoc, malum, infelicitatis? quæ hæc miſeria eſt? ſæuiſſimus hoſtis Turca innumeris penè gentibus deuictis per tot regum regnorumq; ſtragem atq; cadauera ad nos iter ſibi patefecit, patriæ noſtræ iugulo mucronem admouet, neq; tamen commouemur, aut ſaluti eius conſulimus, In vrbe ſi quod ortum eſt incendium; nemo eſt qui non relictis rebus ad reſtinguendum concurrat; qui non pro viribus opem ferre conetur. at nos qui patriæ ciues amantes habere volumus, in tanto eius periculo, ocioſos duntaxat & inertes ſpectatores nos præbemus; nec eius aſpectus turpiſſimè deformandus, non ſacra, non religio mox abiuranda, non coniugum & liberorum tacitæ voces, ne ſe in fœdiſſimam ſeruitutem abripi patiamur, deprecantium, commouent. ignauiſſimum quodq; animal, vbi prolem periclitari ſentit, nulla vi retinetur; per ferrum & flammam opitulatum ruit. contrà nos viri fortes, poſteritatem noſtram, nefarijs hoſtibus, ad omnem iniuriam & turpitudinem, ope noſtra deſtitutam, prodemus? nam quæ reliqua nobis ſpes, quod columen, quod præſidium? num in eius hoſtis bonitate atq; clemen-

tia ſpei aliquid reponemus, qui poſtquam ex ſuis latebris erupit, humani ſanguinis riuus fluere nunquam deſtitit? an in eius æquitate & moderatione? qui pacem, qui fœdera, nunquam pili fecit; apud quem nullæ valent communes reliquarum gentium leges; quem nullus pudor, nulla honeſti ratio continet; qui fidem, qui iuſiurandum, homini Chriſtiano datum, violare, vbi rationibus ſuis conducit, non modò nullum nefas, verùm etiam pium & ſanctum putat. quem in nos profana ſtimulat religio, armat maiorum æmulatio, regniq́ propagandi cupiditas, rapit deniq; ſacra & inexplebilis bonorum noſtrorum ſitis. nam tota quidem nos erramus via, ſi aut patientiam noſtram, aut iniuriarum obliuionem, vel tantillum ad ſecuritatem noſtram profuturam ſperamus. quo nos modeſtiores, quo pacis atque pactorum, quoq́ æqui & boni obſeruantiores oſtenderimus; eò magis in nos eius hoſtis inſolentiam prouocabimus. qui hæc omnia non virtuti, non bonitati noſtræ refert accepta, ſed timiditati, ſed ignauiæ, ſed deſperationi rerum noſtrarum imputat. in hoſte non eſt quod ſpem vllam collocemus; in nobis ſi nulla eſt: neq; ſanè reſtat aliud, quàm vti ſolent homines, iudicum ſententia morti addicti, vt placidè ad ſupremum caſum nos componamus, & tanquam clauſis oculis ferrum in præcordia recipiamus: niſi fortè vires, aut fortunam ei defuturam putemus; quem ex igno-

tiſſimo, tot victoriæ tàm terrà quàm mari, breuiſſimo temporis ſpatio partæ, tantoperè nobilitarunt. Quo velut igne, à paruis initijs orto, omnes iam ferè totius orbis terrarum partes conflagrarunt, quem bellis fracti reformidant Orientis populi, Aſſyrij, Perſæ, atq; Armenij: cuius vim atq; arma ipſi quoq; Scythæ ſæpè iam ſenſerunt, & qui ſuis ex altera parte caloribus tuti eſſe poterant, Aethiopes. nam de noſtra Europa quid dicam? captum vidimus Belgradum, obſeſſam Viennam, & prædas Linzio vſq; hoſtiliter abactas. tantos progreſſus ad noſtram perniciem, præter alias victorias, vnus Suleimannus facere potuit. Noſtrorum regum eſt, pro terræ ceſpite, ab ſtirpe vltima ad ſeros vſq; nepotes inter ſe bella continuata, Othomannorum ſinguli (vtinam ne tam verè quàm dolenter dicam) ſuis victorijs regna regnis ſemper accumularunt, ita vt quicquid olim florentiſſimæ nationes, imperijs ſuis complexæ ſunt, Aſſyrij, Perſæ, Macedones, Romani; ſoli iam ſua ditione continuaſſe videantur. & neſcimus adhuc quo verſemur in periculo? quod mare, qui montes, quæ ſolitudines, aut qui populi in medio relicti, quorum præſidio nos ab horum iniuria tutos fore ſperemus? amiſſa, proſtrata omnia. hærent in ceruicibus noſtris, quos procul perhorreſcere debebamus. patriæ ſanguine, atq; vltimo ſpiritu litandum eſt hoſti cruentiſſimo. nam ne id quidem ſolatium relinquitur, quod

quod ferè ſolet in grauiſsimis mortalium cladibus, vt cùm bona ſpe ſimus, hæc mala non fore diuturna. ſæpè quidem Barbaræ nationes, multis prouincijs, tanquam ſubita aliqua procella, grauem calamitatem intulerunt: ſic Gotthi, VVandali, Alani, Hunni, Tartari multas regiones inundarunt, magnisq́ cladibus affecerunt. quæ tamen eò tolerabiliores videri potuerunt, quòd certa ſpes perpetuas non fore relinqueretur. itaq; poſtquam illa veluti tempeſtas præterierat, quæ afflicta imò pænè deleta videbantur, mox recreata reuireſcebant. ſed hic hoſtis ea eſt vigilantia, eam ſeruat diſciplinam, ea vtitur in conſeruandis ijs quæ ſibi adiunxit ratione, ita regnat, ac dominatur, vt vbi ſemel veſtigium fixerit, inde ſe moueri nunquam patiatur: nunquam ſe attollat ſeges quam ſemel illa calamitas depreſſerit: adeoq́ difficile dictu videtur, ſit ne in acquirendo acrior, an in tuendo quæ acquiſierit firmior atq; validior. Tanto igitur in periculo poſiti, cur non conſulimus in medium, cur non molimur, non omnia tentamus; cur ſtupet in nobis ingenioſa illa neceſsitas admirabilium effectrix operum? Feras equidem videmus, extremo caſu deprahenſas, quàm multa pro ſua libertate fortiter conentur; nihil non audeant; omnia periclitentur; ſi quam fortè euadendi viam inuenire poſsint. neq; antè ceſſent quàm vitam vnà cum ſanguine profundant. Sed hîc fortaſſe, dicet aliquis: Quid

eſt ergò tui conſilij? nam præſentem rerum ſtatum deplorare, de periculo atq; imminentibus malis declamare, cuiuis facile eſt: remedio eſt opus. id exquiritur. de eo dic ſi quid habes. dicam, & quidem paucis. Armis opus eſt: opus eſt armis: contra vim atq; arma ſine armis fieri nihil rectè poteſt. horum præſidio ſalus patriæ muniendæ, aut nobis omnibus ad vnum pereundum. nullum hoc verius oraculum. ſed Dij meliora! arma capeſſamus potius; quæ quidem non intimis terræ viſceribus abdita latent (&, ſi laterent, magna quauis molitione eruenda eſſent) neq; aliunde procul ex vltimis terris arceſſenda: ſed ſunt parata, ſunt in promptu, ſunt, ſi velimus; in manibus. naſcuntur etiamnum apud nos viri. eſt copioſa iuuentus, bello apta, pro patria, pro aris & focis ſanguinem fundere parata. non equi, non ferrum, non aurum, non opes, non machinæ tormentaq;, non reliqui ad bellum apparatus deſunt. omnia quæcunq; ad res magnas & ſuſcipiendas, & conficiendas requiruntur, nobis larga manu ſuppeditauit diuina benignitas: modò ne ſumere recuſemus. voluntas, inquam, noſtra & manus tantùm deſiderantur, quas maturè admoueamus, dum iuſtæ adhuc vires ſuperſunt; antequam debilitata ruant omnia; alioqui ſerò & nequicquam conſilia prætermiſſa reſpectabimus; nobiſq; idem eueniet, quod ægrotis, qui dum tempus eſt, & vires ſunt integræ,

ad

l medicinæ mentionem nauſeant, neq; poſſunt llæ ratione adduci vt ſalutaribus in tempore po- onibus vtantur: ſed vbi opportunitas præterijt; norbusq́; adeò inualuit, vt debilitatis virib. me- licamento non ſit locus: fruſtrà medici fidẽ, ne- glectaq́; remedia requirunt. Quorũ exemplo no- bis cauere debemus; & antequam pluribus illa- tis vulneribus hoſtis planè conficiat, dum plaga nulla lethalis eſt, dum nondum omnis profluxit ſanguis, remedium in tempore adhibere, hoc eſt, arma expedire, totosq́; nos ad defenſionem com- parare. Quæ meditantes atq; agentes, Deo ritè ſupplicabimus; eumq́; preces noſtras haud auer- ſaturum meritò ſperare poterimus. Quòd ſi per ſimulationem pietatis, inertiæ noſtræ velificari volemus, & malè quæſito compendio à DEO ſi- ne opera, ſine ſtudio, ſine labore noſtro, impen- dentibus malis opem ſolis precibus impetrare: ne ille iniuſtæ petitioni noſtræ ſe haud facilè æquum præbebit. ipſi inprimis noſtro fungamur officio: & partes diligentiæ, conſtantiæ, virtutis & for- titudinis, in hunc potiſſimum vſum ab eo nobis datas, impleamus. niſi aret, ſerat, ac metat agricola, fruſtra à DEO copioſam meſſem po- ſtulet. certum in iſtis rebus inferioribus ordinem ſtatuit DEVS, quem haud temerè neglectum vult, labori, diligentiæ, aſsiduitati, ſollertiæ, virtuti multa præmia propoſuit: quæ negauit in- ertiæ. Vis ſcire litteras, Muſicam, Aſtronomiam,

Mathemata: diſce, labora, neruos contende. hæc ocioſo tibi nullum inſpirabit numen: per eam viam, eosq́ gradus quos DEVS *poſuit, tibi perſequenda ſunt. inſtrumenta ad ea conſequenda, modò tibi ne deſis, largitus eſt; ea adhibe, ijs vtere: dabit ille benedictionem, & incrementum. Vis tueri patriam, hoſtem profligare, potiri victoria? non hoc conſequêris ſedens, non iners, non otioſus: inſurgendum eſt; arma capienda, tractanda, adhibenda exercitatio: Aſſueſcendum eſt labori, ſoli, pulueri, ſiti atq; inediæ. his armatus atq; inſtructus, diuinam opem implora. atq; ita bona ſpei plenus, procede in aciem. munere tuo functus es, ijs inſtrumentis quæ tibi Deus dedit ritè vſus es, ſeruaſti eius ordinem, neq; poſitas ab eo leges contempſiſti; rei exitum pijs precibus, vitaq́ integritate eius clementiæ & bonitati commenda. Non eſt noſtri arbitrij neque facultatis victoria; ſed Dei ſolius beneficio contingit, cuius tamen non legitimè neq; ordine petentem haud ſæpè compotem fieri videmus. & ſi ſecus quandoq; fiat (quod ſanè fit rariſſimè) id tribuendum eſt miraculo. at nos* DEVM *tentare non debemus, neq; temerè quicquam conari. Nec malè, meo quidem iudicio, Cato apud Saluſtium, Senatum adhortatus, vt contra Catilinam arma capiat, his verbis vtitur:* Scilicet res aſpera eſt: ſed vos non timetis eam. imò verò maximè. ſed inertia & mollitia

animi,

nimi, alius alium exſpectantes,concta-
ini, videlicet Diis immortalibus con-
ſi, qui hanc rempubl. ſæpè in maximis
ericulis ſeruauere. Non votis neq; ſup-
licijs muliebribus auxilia Deorum pa-
antur. Vigilando, agendo, bene con-
ulendo, proſperè omnia cedunt: vbi
ocordiæ te atque ignauiæ tradideris,
equicquam Deos implores; irati,infe-
tiq; ſunt. *Nos ergo, quod eſt partium noſtra-
um, exſequamur; eodemq; tempore non miu-
tis precibus diuinam opem atq; miſericordiam
mploremus, armati, in caſtris, in opere atq; ne-
gotio. Sed occurritur mihi à bonis atq; prudenti-
bus viris; iſtam publicæ calamitati medendi ra-
tionem, aliquoties tentatam, minus feliciter e-
ueniſſe, noſq; quoties ad arma & manus cum
Turcis ventum ſit, inferiores diſceßiſſe. Audio:
neq; nihil eſt quod dicitur, atq; eò vt venire-
mus, hæc ferè mihi erat inſtituta oratio. Armis
(inquis) contra Turcam hactenus parum profeci-
mus: eſto, ſed quibus tandem armis? hoc nos
expendere, & in eo aliquantum morari eſt o-
peræ precium. Quum Turca fines noſtros infeſta-
ret, aut cum numeroſo exercitu ad nos aſcende-
re nuntiaretur; dedimus operam, vt nos quoq;
copias cogeremus. ſed quas copias? quem mili-
tem coëgimus? num veteranum? num eum cuius
virtutem multis iam antè documentis cognitam
haheba-*

habebamus? quo vincere conſueueramus? non opinor, ſed potius huic diſsimilimum. Pulſata longè lateq́ tympana: ad eorum ſtrepitum conuenêre, lucelli ſpe, quibus viſum eſt. tertius fortaſſe quiſq; qui loricam aut thoracem numquam induerat, nec hoſtem vel à belli limine ſalutarat. reliqui quales? homines luxu perditi, decoctores, ganeones, aleatores, obærati, exſules, atq; his ſimiles (paucis exceptis) ferè reliqui, quos eò perduxit non patriæ caritas, non æquitas cauſſæ, non religionis ſtudium, non amor exercendæ virtutis; ſed ebrietatis, aleæ rapinarum, ſacrilegiorum, ſtuprorum, & (vt vno verbo dicam) ſcelerum & flagitiorum omnium impunitas atq; licentia. Cum huiuſmodi turba, nullo dilectu collecta, vel potius cum fæce perditorum hominũ, Deo pariter atq; hominib. inuiſorum contra tãtum hoſtem, ſacrum videlicet auſpicamur bellum. itaq; non tam militum conuentus quàm Bacchanalia, noſtra caſtra videri poſſunt: vbi luxuria, corruptelis, libidine, impietate, crapula, tumultu, rixis, atq; cædibus ſtrepunt, & permiſcentur omnia. hic tamen tàm bellus miles, magnis impendijs, procul eſt è ſuis ſedibus excitandus, magnaq́; cum iactura temporis, vbi etiam res ſummam celeritatem exigit, perducendus. Fortem & aſſuetum laboribus, Hannibalis militem, Campaniæ luxus & deliciæ fregerunt. nobis nulla opus eſt Campania; imbelles, eneruati, perditi, in caſtra venimus.

us. Itaq; ſi hoſtis deſit, mora paucorum men-
n, aut Caniculæ feruor, aut primorum frigo-
n morſus quantumuis magnas copias noſtras
ctant & iugulant. & nos miramur, cum hoc
milite, nihil nobis contra exercitatiſsimum
ſtem procedere? Si quas priuatim paullò pe-
uloſiores ſimultates gerimus, aut per loca la-
ciniis infeſta, nobis faciendum ſit iter; non
nerè, niſi ſpectatiſsimis comitibus, corporis
ſtri cuſtodiam committimus: ſed nec ſi gra-
oris quicquam negotij incidit, id niſi hominibus
xperientibus & peritis mandare ſolemus. Hîc
bi tanta res, communisq; omnium ſalus agitur,
am ſumus negligentes, vt copias non modò
on idoneas, ſed iam pænè profligatas, ante-
uam in aciem producantur, hoſti tot victoriis
laro obijcere non vereamur. Reuertor itaq; eò,
quod initiò dixi, aut idoneorum armorum præ-
ſidio publicam incolumitatem tuendam, aut
nullam rem relinqui, quæ nos ab vniuerſo exitio
vindicare poſsit. Quem igitur militem requiro?
Noſtrum inprimis; in noſtris ſedibus natum; de
noſtris popularibus dilectum. nam cùm in rebus
bellicis plurimùm valeat celeritas; eaq; vel ma-
ximè, contra Turcam hoſtem expeditiſsimum,
neceſſaria ſit; milite opus eſt eo, qui non procul
arceſſendus, diuq; exſpectandus ſit: ſed ſit in
promptu & tanquam ad manum, ſemperq; noſtræ
poteſtatis. Atq; hunc non temerè, neq; caſu ob-
latum,

latum, ſed percenſitis omnibus, qui arma ferre poſſunt, magno iudicio delectum. in quo maximè cauendum, ne is eligatur, qui molliori cultui atq; victui aſſueuerit, aut quem praua educatio vitijs infecerit, aut fregerit otium; ne vecors, ne inſanus, ne contumax, ne turbulentus, ne ſeditioſus. ſed ſit adhuc à delicijs interger, aptus tolerãdo labori & cum bono corporis habitu: tùm verò qui ſimplicitatem, animiq; magnitudinem quandam, toto vultu atq; omnibus oris lineamentis præ ſe ferat ac ſpiret. qua de cauſſa, arti alicui laborioſæ, quàm ſedentariæ, aſſuetum, ruſticum quàm vrbanum, in monte quàm in planitie, in re tenui, quàm in medijs diuitijs natum malim. hunc ita electum militaribus præceptis armorumq; ſciẽtia erudiri velim. Armatus haſtam vibrare & verſare, gladio item, & minore bombarda ſcienter vti, ſeruare ordinem, & ſub armis ad multum ſpacium decurrere conſueſcat. veram laudem appetere, flagitium peius letho odiſſe, pietatem colere, & ab omni in DEVM *verborum contumelia ſibi temperare diſcat. idem dicto audiens ſit ſuo duci, eiusq; animaduerſionem patienter admittat: in hoſtem ferox, in commilitonem lenis & tractabilis. victus parſimonia, neq; crapulæ, neq; ebrietatis ſuſpicioni locum relinquat, poſtremò ſuo ſtipendio ſit contentus, atque ab omni præda, præterquam conceſſa, ſe abſtineat. Huiusmodi diſciplina informari militem*

oportere

rtere dico, qui contra tantum hoſtem poßit
ſiſtere, neq; tamen eum ſtatim in aciem pro-
i, aut de ſumma rerum, tyronem cum vete-
o, velim decernere. ſed in ſtatiuis præſidijsúe
ı collocari, & excurſionibus, leuioribusq;
lijs, paullatim in belli conſuetudinem venire.
æ ratione vulnus pati, hoſtis conſpectum fer-
& timorem quem omnis nouitas affere ſo-
, ſenſim deponere conſueſcat. hoc ita inſtitu-
& confirmato,, non contemnendum gradum
ſpem melioris fortunæ factum affirmare aude-
Quare in eo vel potißima laboris & curæ
s ponenda, vt homines armorum & rei mi-
ris peritißimi conquirantur; à quibus ij, quos
o, tyrones, veris & germanis diſciplinæ mi-
ris præceptis formentur. Hōs ſumma virtute,
tinentia, & ſobrietate præditos. nullis aua-
iæ ſordibus contaminatos requiro; vt non mo-
hanc ſubolem, in communis ſalutis ſpem ſuc-
ſcentem, arte militari imbuant: verùm etiam
æ & integritatis exemplo, ad omnem virtu-
n erudiant: vtq; eorum fidei hic noſter exer-
us, cùm eum in hoſtem tempus euocabit,
tè committi poßit. quibus ſanè ducibus pericu-
n non erit, ne falſum militum numerum refe-
ntibus, publicum fraudetur ærarium. ex quo
mmunium præfectorum ſcelere, hodie fieri vi-
mus, vt quantumuis amplæ regum opes, alendo
ullò diutius exercitui non ſufficiant: & ſæpenu-
mero

vero vbi acie confligendum ſit, magnum adeatur periculum, dum imperatores ea ducum relatione decepti, ſe copias numeroſiores habere quàm res ſit credunt. Sed antequam longius progrediar, hic locus poſtulare videtur, vt quorundam bonorum virorum ſententiæ reſpondeam; quorum cùm omnis intelligentia eius ſeculi atq; regionis, in qua nati ſunt, finibus circumſcribatur, neq; longius ſit euagata; hæc dici, vehementer admirantur, eáq; vt noua & inuſitata, quæq; in effectum perduci nequeant, reijciunt. Noſtri, inquiunt, maiores, eo milite, eáq;, qua nos vtimur, rei militaris ratione contenti, præclarè multa geſſerunt. fateor, ſed geſſerunt aduerſus eos, qui in eadem prauitate, ijſdemq́; vitijs verſabantur. fuit ex hac parte exercitus inexercitatus, collecticius, externus, imbecillus, diſciplinæ expers. fuit & ex altera. itaq; inter pares neq; vitia valdè eminebant, & paruo ſæpè cum diſcrimine diſcedebatur. vt ſi duo mutili, duo cæci, duo claudi concurrant, haud magnoperè in altero membrorum integritatem requiras. at ſi cum manco integrum, cum cæco videntem, cum claudo rectum committas, mox conditionis inæqualitas apparebit. Nobis inter nos, cum vicinis & penè popularibus noſtris, errare licuit, vt libuit; paria enim, vt dixi, vitia non magnum inter vtroſq; diſcrimen conſtituebant. Sed nunc alia res eſt. etenim negotium eſt nobis cum Turca;

hoſte vigilanti, induſtrio, ſobrio, exercitato,
ori aſſueto, rei militaris ſcientiſsimo, diſcipli-
obſeruantiſsimo. Quæris quid iſta valeant? à
bus Perſiæ ad Viennæ vſq; mœnia omnia deui-
. Quid noſtra arma cum hoc collata poſsint,
nam ignorare nobis liceat, neque quotidianæ
des tanto nobis documento ſint. & dubitamus
huc, vtrum vitia noſtra emendemus potius,
àm defendamus? At ſunt noua, ſunt inuſitata,
æ proponimus. Nimirum quia nouus & pere-
inus hoſtis; cuius vis & vſus armorum nihil
lgare, nihil commune, nihil remiſſum patitur.
erunt quondam ſudor Anglicus, & lues Gallica,
rbi peregrini & incogniti: quos cùm medici
gè lateq; vagãtes, vſitatis & communib. medi-
mentis reprimere conati eſſent, neq; quicquam
oficerent; tandẽ multorum pernicie edocti, no-
s remediis, aduerſus nouas ægritudines, ſibi pu-
nandum intellexerunt. quod quidem adeò feli-
iter cadebat, vt vterq; morbus, qui antea inui-
um ſe præſtiterat, mox cederet, & in ordinem
edigeretur. Quod medicorum inſtitutum pro-
onere nobis ad imitandum debemus: & cùm ad
eprimendum Turcarum impetum, fruſtra, his
emporibus vſitata, adhibuerimus arma; ad ali-
m armorum rationem tranſire, & nouis malis
oua remedia applicare. Quanquam minimè
unt iſta noua, ſed antiquiſsima potius; quibus po-
ulus Roman. tanta cum laude totum terrarum

mero vbi acie confligendum ſit, magnum adea tur periculum, dum imperatores ea ducum rela tione decepti, ſe copias numeroſiores haber quàm res ſit credunt. Sed antequam longius pro grediar, hic locus poſtulare videtur, vt quorun dam bonorum virorum ſententiæ reſpondean quorum cùm omnis intelligentia eius ſeculi atq regionis, in qua nati ſunt, finibus circumſcriba tur, neq; longius ſit euagata; hæc dici, vehe menter admirantur, eaq́; vt noua & inuſitata quæq́; in effectum perduci nequeant, reijciunt Noſtri, inquiunt, maiores, eo milite, eaq́;, qu nos vtimur, rei militaris ratione contenti, præ clarè multa geſſerunt. fateor, ſed geſſerunt ad uerſus eos, qui in eadem prauitate, ijſdemq́; vitij verſabantur. fuit ex hac parte exercitus inexer citatus, collecticius, externus, imbecillus, diſci plinæ expers. fuit & ex altera. itaq; inter pare neq; vitia valdè eminebant, & paruo ſæpè cum diſcrimine diſcedebatur. vt ſi duo mutili, du cæci, duo claudi concurrant, haud magnoper in altero membrorum integritatem requiras. a ſi cum manco integrum, cum cæco videntem, cum claudo rectum committas, mox conditionis in-æqualitas apparebit. Nobis inter nos, cum vici-nis & penè popularibus noſtris, errare licuit, vt libuit; paria enim, vt dixi, vitia non magnum inter vtroſq; diſcrimen conſtituebant. Sed nunc alia res eſt. etenim negotium eſt nobis cum Tur-

ca;

ca; hoſte vigilanti, induſtrio, ſobrio, exercitato, labori aſſueto, rei militaris ſcientiſſimo, diſciplinæ obſeruantiſſimo. Quæris quid iſta valeant? à finibus Perſiæ ad Viennæ vſq; mœnia omnia deuicit. Quid noſtra arma cum hoc collata poſſint, vtinam ignorare nobis liceat, neque quotidianæ clades tanto nobis documento ſint. & dubitamus adhuc, vtrum vitia noſtra emendemus potius, quàm defendamus? At ſunt noua, ſunt inuſitata, quæ proponimus. Nimirum quia nouus & peregrinus hoſtis; cuius vis & vſus armorum nihil vulgare, nihil commune, nihil remiſſum patitur. Fuerunt quondam ſudor Anglicus, & lues Gallica, morbi peregrini & incogniti: quos cùm medici longè lateq; vagãtes, vſitatis & communib. medicamentis reprimere conati eſſent, neq; quicquam proficerent; tandẽ multorum pernicie edocti, nouis remedijs, aduerſus nouas ægritudines, ſibi pugnandum intellexerunt. quod quidem adeò feliciter cadebat, vt vterq; morbus, qui antea inuictum ſe præſtiterat, mox cederet, & in ordinem redigeretur. Quod medicorum inſtitutum proponere nobis ad imitandum debemus: & cùm ad reprimendum Turcarum impetum, fruſtra, his temporibus vſitata, adhibuerimus arma; ad aliam armorum rationem tranſire, & nouis malis noua remedia applicare. Quanquam minimè ſunt iſta noua, ſed antiquiſſima potius; quibus populus Roman. tanta cum laude totum terrarum

orbem ditionis ſuæ fecerit: tantumq́ abeſt, vt hac noſtra ætate inuſitata ſint; vt hoſtis, de quo nunc maximè eſt ſermo, nulla alia ratione, cùm noſtram ſalutem in dubium quotidiè vocet, tum ditionis ſuæ terminos cum imperio Romano penè iam nunc adæquarit. Quibus de rebus paullò copioſius dicam infrà, vbi iſtis iiſdem ad eam, quam ſibi animis fingunt, difficultatem reſpondero. Etenim ita ferè huius molliſsimi ſeculi moribus receptum eſt, vt res quæcunq;, quantumuis præclara, quatumuis vtilis, modò in exequendo aliquid difficultatis præferat, pro eo habeatur, ac ſi perfici nullo modo poſsit. qua animi imbecillitate illi quos dico adducti cum inuſitatis armis nihil eſſe præſidij ſatis ſint experti; ab ea verò, quam probamus, belli gerendi ratione, difficultate abſterreantur: eò ſubinde relabuntur, vt imminentem capitibus noſtris peſtem, non aliter depelli poſſe credant, quàm pace aut inducijs quacunq; ratione cum hoſte pactis. à qua ſententia, tanquam à Iouis ara, aut ſtatua Imperatoris, auelli ſe nullo pacto patiuntur: itaq; facienda putant omnia, quo in aliqua parte pacis cum Turcis ſeu prece ſeu precio, ſeu quacunq; indignitate hæreamus, neq; animaduertunt in rebus difficilibus hanc vnam eſſe vel difficilimam, quæq́ omnium minimè ſperari poſsit. Quid enim? tam capitalis hoſtis tantum terrarum emenſus, tot exhauſtis laboribus vt ad nos peruaderet, vbi ſe iam

voti

voti compotem factum videat, in tanta materia laudis, tanta prædæ opportunitate, tanta imperij, tanta religionis propagandæ occaſione, ſubitò velut attonitus conſiſtat, neq; longius progredi curet? Quodſi qua pacis ſpes relinquatur; quis adeò demens ſit, vt bello cum hoſte tam potenti contendere malit? aut adeò cæcus, vt certæ paci dubios incerti Martis euentus poſtponendos non videat? Sed non ea res agitur, neq; enim alterutrum nobis liberum relinquitur. Ad bellum omni ſpe pacis ſublata cogimur. nullæ hîc conſilij, nullæ arbitrij noſtri partes. vis neceſſitatis omnia occupauit. Ad bellum violenter rapimur: bellum nobis vel inuitiſſimis ſubeundum, gerendum, exantlandum. Quid fruſtra obnitimur? quid circumſpectamus? quid vanis pacificationibus ſomniandis nos decipimus? in media nimirum flamma, otium nobis falſa cogitatione fingimus; malumq́;, cuius (ſi aduigilaremus) remedia aliqua eſſe poterant, differendo nutrimus, & parum prouidendo, reddimus inſanabile. At præclarum eſt belli mala diſtuliſſe. præclarum, niſi ideò valeat, vt paullò poſt grauius erumpant; nosq́; certius pereamus. vt ſi medicus dum blanditur ægroto, neceſſaria remedia differat, atq; ex eo morbus ita ingraueſcat, vt breui mors conſequatur. nam noſtras quidem res haud exiguis momentis quotidie deteriores fieri videmus. hoſtis verò è contrà indies magis inualeſcit; & præter-

quam quòd de noſtro ſemper aliquid decerpit, quod adiungat ſuo, non deſinit interea viam ad nos munire & complanare, omniaq́; comparare, quæ ad exitium noſtrum maturandum pertineant; vt cùm amotis omnibus, quæ moram aut impedimentum adferebant, viſum ei fuerit, alieniſsimo noſtro tempore, claſsicum canere: nos alta quiete ſepultos, ac proinde à rebus omnibus imparatos, ipſe paratiſsimus, intolerãda belli mole derèpente obruat. huc eius omnia ſpectant conſilia, hoc vnum aſsiduè molitur & agit. quò demum tempore, & tamen ſerò, nos in eum locum deductos intelligemus, vt nulla ſpe auxilij reliqua ineuitabili exitio, nobis pereundum ſit. & hic erit morarum noſtrarum & intempeſtiuæ ceſſationis fructus. Quare etiam atq; etiam, dum tempus eſt, & res patitur, prouidendum moneo; ne falſæ ſpei præſtigijs obcæcati, nos inertiæ & deſidiæ tradamus, qua ex re quantas iam clades ſubierimus cum meminiſſe poſſumus, tum vltimam reipubl. ruinam appropinquantem proſpicere. Ergo & iudicio vtendum eſt nobis acri, ne in re tanta alucinantes, falſa pro veris remedia periculoſiſsimis malis admoueamus: & cum rationibus omnibus ſubductis, quæ ſpei ſumma reſidua ſit, deprehenderimus; hanc vnam omiſsis reliquis complecti, ad eamq́; omni ſtudio incumbere debemus. In quo non labor, non difficultas, non

nouitas,

nouitas, nec quicquam eorum, quæ ſegnes & infirmos animos morari ſolent, nos meritò retardauerit: ingentibus animis, pro rei magnitudine, eſt opus. nihil humile, nihil abiectum res tanta requirit: ſupra ſeculi noſtri captum hîc nos efferamus neceſſe eſt; & eorum heroum virtutem pauliſper referamus, qui fortitudinis & conſtantiæ magnitudine, quoſuis labores ſuperarunt, qui nihil turpius, nihil ſe indignius duxerunt, quàm vllius difficultatis aut impedimenti magnitudine deterreri, quò minus id quod cum Reipublicæ dignitate & commodo coniunctum eſſe ſtatuiſſent, ad exitum perducerent. quorum è numero vnum ſilentio præterire Lycurgum Lacedæmoniorum legiſlatorem non poſſum; qui cùm inter reliqua inſtituta (quibus optimè conſtitutam & fundatam Spartanorum rempublicam relinquere in animo habebat) bonorum æqualitatem in eam ciuitatem introducere; eaq́ue de cauſſa rem poſſeſſionesq́ue omnium ex æquo partiri vellet; vt quantum diuitibus detraheretur, tantum accederet tenuioribus; nullumq́ue, niſi quod virtus faceret, inter ciues diſcrimen eſſet, in eo multos habuit aduerſarios, præſertim illos, qui facultatibus, pecunia & diuitijs præſtabant. etenim indignè ferebant rem à maioribus traditam, aut ſuo labore quæſitã, ſibi eripi, & ad alienos poſſeſſores transferri. cumq́ue ea res & iniuſta & abſurda haberetur; fiebat vt eius legis perferendæ ma-

gna difficultas Lycurgo obijceretur. ſed illo nihilominus in ſententia perſeuerante, & quod rectum & reipublicæ eſſe ſalutare in animum induxiſſet, perficere contendente, variæ quotidie rixæ periculoſæq́; concertationes miſcebantur; in quibus deniq; Lycurgo alter oculus effoditur. poterat ea res bonum virum ſatis admonere, quantam rem quamq́; arduam ſuſcepiſſet, ac proinde deterrere ne perſiſteret in incepto; ſed potius rei infeliciter tentatæ, tanto accepto malo, conſilium deponeret. Quod ſanè longè ſecus accidit. tantùm enim abfuit vt ille heros ob eam calamitatem deſiſteret, vt ei potius animum addidiſſe videretur; multoq́; ardentius in cauſſam incumberet. Itaq; non conquieuit ante, quàm legem, quam rogarat, de bonorum æqualitate, omnium conſenſu perferret. Quo veluti fundamento reliquorum præclariſſimorum eius inſtitutorum, talem rempublicam conſtituit, vt Græcia nullam habuerit parem; nomenq́; eius etiamnum hodie, ſumma cum admiratione virtutis celebretur. fecit hoc ille, nullo imminente Turca, nullo vaſtitatem interitumq́; rerum omnium intentante. & nos hoc rerum ſtatu, grauius aliquid aut difficilius, quàm vt ſubire velimus videri nobis patimur, in quo ſalutis noſtræ ſumma poſita ſit. Pellenda eſt nobis ex animo iſta ſegnities, prorſus nobis, nomine noſtro prorſus indigna; & reliquis cogitationibus, vanis & fallacibus

acibus, omiſsis, ſub vnius ſecundùm Deum, vel militaris præſidium confugiendum. Romani cùm grauior caſus inciderat, vnde mali aliquid timeretur, ibant ad ſaga, ſeruabant iuſtitium, conſulibus denunciabat Senatus, viderent ne quid Reſp. detrimenti caperet. Nobis multò magis idem faciendum, quibus non tantùm à communi Reipub. detrimento, verùm ab vniuerſa eius ruina periculum impendet. eundum eſt, inquam, nobis ad ſaga; arma capienda, tractanda, meditanda. Diſciplina militaris deprauatiſsima corrigenda; reuocanda vetus & integranda. hoc vnum iuſtitio veluti indicto, hoc eſt, clauſis pæne tabernis & reliquis rebus poſthabitis, ardentiſsimo ſtudio nobis agendum perficiendumq́ꝫ: ſi modo rempublicam, ſi nos, ſi liberos, ſi coniuges, ſi deniqꝫ aras atqꝫ focos ſaluos & incolumes velimus. Quid enim; ſi Turcarum arma præualuerint; nobis reliqui futurum eſt? certè non pudor, non honeſtas, non dignitas, non libertas, non religio. nulla vnquam gens non vilius periclitata eſt. extremum, crede mihi, malorum eſt, vinci à Turca, nihil erit quod illo victore (quod vtinam ne tam ſit in propinquo) rapi, agi, ferri, diſsipari, incendi, conculcari, & profanari non videamus. Quod vt ne videamus ac ferre cogamur, ad ſaga potius, & ad arma eamus, & (vt Probus inquit) militemus. qui cùm eſſet renunciatus Imperator, multaq́ꝫ damna, quæ ijs temporibus Ro.

Reſp. acceperat, rei diſciplinæq́ militaris corruptelæ referret accepta, cui emendandæ inprimis ſtudendum duceret: in huius rei argumentum hanc primam teſſeram militibus ſuis dedit. Nec verò minus ille re præſtitit, quàm verbo oſtenderat. ſiquidem exiguo tempore adeò profecit, remq́ militarem pænè totam prolapſam ita reſtituit, vt nomen Ro. quod pleriſq́ gentibus contemtui eſſe cœperat, amplitudini & maieſtati ſuæ denuò redderetur. Cuius exemplo militemus & nos, armaq́, quæ vetuſtate & vitio temporum obtuſa; & ærugine corrupta habemus, multo ſtudio ad priſtinum nitorem, bonitatemq́ reuocemus, à quo (vt dixi) cum labor & difficultas nos auertere non debent: tum verò minimè omnium ſumptus reiq́ familiaris diminutio. vbi enim ſumptum ponemus rectius quàm vbi vitam ipſam impendere, graue nobis videri non debet? aut qua in re bonorum noſtrorum partem melius conſumemus, quàm vt caput & ſumma collocentur in tuto? Boni certè patresfamilias nulli ſumptui, neque impenſæ parcunt; nullum claudendi, ſepiendi, muniendiue finem faciunt, dum res & poſſeſſiones ſuas in tuto conſtituant: quas ſe inſtabiles & caducas habere arbitrantur, quandiu eas fortuitis caſibus, incurſionibus latronum, aut furum inſidijs expoſitas habent. nautæ quoque ſæuiente tempeſtate potius quàm nauem frangant, & de vita in dubium veniant, quam-

uis

uis pretioſarum mercium iacturam facere malunt. Sed nec medici aliquot humani corporis partium iactura, reliquorum membrorum & totius corporis incolumitatem redimere dubitant. Enimuerò quid eſt quod quiſquam, tali hoſte vicino, vllam cuiuſquam rei poſſeßionem ſtabilem, aut diuturnam promittere ſibi poßit? cùm ſingulis momentis exſpectanda ſit dies, qua vicini improbitas cuncta eripiat, contraq́; omnium edicta prætorum ad ſe transferat. Quid ſeris? quid metis? quid colligis ac recondis? cum non minus tua omnia hoſtis ſua numeret, quàm quæ Aſiaticis, quæ Græcis, quæ Thracib. quæ Bulgaris, quæ Illyricis, quæ Hungaris (vt alios populos taceam) iam diu erepta poßidet? Neq; enim opes, facultatesq́; noſtræ, ſine iuſto militum (quos dico) præſidio illius auaritiæ minus patent, quàm pateat furibus, nullo cuſtode, nullis clauibus, in publico proiecta vis auri, aut precioſa ſuppellex. Quod ſi inopiam dementiæ prætexere & paupertatem ementiri iuuat: videamus ne noſtro interitu, noſtrisq́; ſpolijs diues factus hoſtis, magna cum noſtra infamia, mendacij nos redarguat. ſed tamen eos ſumptus non requiro, quos magnoperè pertimeſcamus. quos quidem extra belli tempus, minimos eſſe velim: belli verò tempore mediocres: certè longè tolerabiliores quàm quibus vulgaris & tumultuarius miles conducitur. Qua ex re duo etiam conſequantur commoda: vnum, ne pe-

cunia extra ditionis noſtræ fines eliminetur; alterum, ne tribunorum & præfectorum nefario quæſtui locus ſit. quibus hodie per fœdiſsimum peculatum, cum ſummo reipub. damno, locupletari, præclarum ſtratagema habetur. Sed hæc alterius ſunt loci; neq; enim in præſens, particulatim de ſingulis, ſed ſummatim tantùm, quid hac de rè vniuerſa ſentirem, ſignificandum mihi eſſe ſtatui. Ergo imitemur in Reipub. communiq; ſalute muniendа pop. Ro. prudentiam; qui ſemper præſidio militum ex ſuis hominibus delectorum, imperium ſuum, Remq; pub. & priuatam tutatus eſt. neq; enim ille aut irrumpentium Gallorum ferocitati par, aut bella ſubinde renouantium Italicorum pertinaciа ſuperior eſſe potuiſſet, aut tam fortiter aduerſus vim Annibalis integrum imperium conſeruaſſet, aut de Philippo, deq; Antiocho triumphaſſet, niſi ſuum & proprium militem habuiſſet; eamq; quam dico, in eo inſtituendo rationem ſecutus fuiſſet. Qua de re tota tempus eſt, vt copioſius exponam: quo magis perſpicuum ſit, nihil me noui introducere; vtq; nobis exemplum propoſitum ſit, quod ſequamur. In quo quidem omnes, qui de rebus Romanis ſcripſerunt, conſentiunt, paſsimq; apud eos videre eſt, quantum curæ Romani poſuerint in tyrone diligendo, inſtituendo, & exercendo. Sed ego ne ſim prolixus multis auctoritatibus colligendis, vtar compendio; vniusque antiqui

moris

moris & diſciplinæ militaris grauiſſimi auctoris Vegetij teſtimonio ero contentus; qui ea quæ ſequuntur diuerſis in locis, in libris De mil. Rom. inſtitutis ad Cæſ. Valentinianum ſcripta reliquit: IN OMNI PROELIO NON TAM MVLTITVDO, ET VIRTVS INDOCTA, QVAM ARS ET EXERCITIVM SOLENT PRÆSTARE VICTORIAM. Nulla enim alia re videmus pop. Rom ſibi orbem ſubieciſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſuq; militiæ. quid enim aduerſus Gallorum multitudinem, paucitas Ro. valuiſſet? quid aduerſus Germanorum proceritatem breuitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidem non tantùm numero, ſed etiam viribus corporũ, noſtris præſtitiſſe, manifeſtum eſt. Afrorum dolis atq; diuitijs ſemper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci, nemo vnquam dubitauit. Sed aduerſus omnia profuit tyronem ſolertem eligere: Ius (vt ita dixerim) armorum docere diſciplinam, quotidiano exercitio roborare: quæcunq; euenire in acie atq; in prœlijs ſolent, omnia in campeſtri meditatione pernoſcere; ſeuerè in deſides vindicare. SCIENTIA ENIM REI BELLICÆ DIMICAN-

DI NVTRIT AVDACIAM, NEMO FACERE METVIT QVOD SE BENE DIDICISSE CONFIDIT. ETENIM IN CERTAMINE BELLORVM, EXERCITATA PAVCITAS AD VICTORIAM PROMPTIOR EST: RVDIS ET INDOCTA MVLTITVDO EXPOSITA SEMPER AD CÆDEM. Si quis igitur pugna publica ſuperare Barbaros cupit: vt diuinitatis nutu, diſpoſitione Imperatoris inuicti, reparentur ex tyronibus legiones, votis omnibus petat. Intra breue autem temporis ſpatium, iuniores diligenter electi & exercitati, quotidie non ſolùm mane, ſed etiam poſt meridiem omni armorum diſciplina, vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum ſubegerunt, facilè coæquabunt. Nec moueatur Cæſar tua Maieſtas quòd olim conſuetudo eſt mutata, quæ viguit: Sed huius prouiſionis ac felicitatis eſt perennitas tua; vt pro ſalute Reipub. & noua excogitet, & antiqua reſtituat. Omne opus difficile videtur antequam tentes: Ceterùm ſi exercitati & prudentes viri dilectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter inſtitui. quiduis enim efficit

ſolertia.

ſolertia. neq; longitudo ætatis aut armorum numerus artem bellicam tradit; ſed continua exercitationis meditatio. POST QVANTA VOLVERIS STIPENDIA INEXERCITATVS MILES SEMPER EST TYRO, &c. Nunquam credo potuiſſe dubitari aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub dio & calore nutritur, ſolis patiens, vmbræ negligens, balnearum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre conſuetudo de rure eſt. ET NESCIO ETIAM QVOMODO MINVS TIMET MORTEM, QVI MINVS DELICIARVM NOVIT IN VITA.

Nunc qua ætate milites legi conueniat, exploremus. Equidē ſi antiqua conſuetudo ſeruanda eſt, incipientem pubertatem ad dilectum cogendam, nullus ignorat. NON ENIM TANTVM CELERIVS SED ETIAM PERFECTIVS IMBIBVNTVR QVÆ DISCVNTVR PVERIS. Deinde militaris alacritatis ſaltus & curſus, antè tentandus eſt, quàm corpus ætate pigreſcat. Velocitas enim eſt, quæ percepto exercitio, ſtrenuum

efficit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

efficit bellatorem. Adoleſcentes legendi ſunt; ſicut ait Salluſtius. Nam primùm iuuentus ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laboris vſum militiam diſcebat, melius enim eſt vt exercitatus iuuenis cauſſetur ætatem nondum aduenisse pugnandi, quàm doleat præterijſſe; Habeat etiam ſpatium vniuerſa diſcendi. NEQVE ENIM PARVA AVT LEVIS ARS VIDETVR ARMORVM, ſiue equitem, ſiue peditem, ſagittarium velis imbuere, ſiue ſcutatum armaturæ numeros omneſq; geſtus docere, ne locum deſerat, ne ordines turbet, vt miſſile, & deſtinato ictu, & magnis viribus iaciat; vt foſſam ducere, ſudes ſcienter figere norit, tractare ſcutum & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. Huic taliter inſtituto tyroni, pugnare aduerſum quoslibet hoſtes in acie formido non erit ſed voluptas. Sed qui dilectum acturus eſt; vehementer intendat, vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bellatoris. Namque non tantum in hominibus, ſed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indicijs, &c. Sit ergo adoleſcens

Martio

Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperflüa carne diſtentis, ſed neruorum duritia collectis. Cùm hæc ſigna in tyrone deprehenderis; proceritatem non magnoperè deſideres. Vtilius eſt enim fortes milites eſſe quàm grandes. Sequitur, vt cuius artis tyrones vel eligendi vel penitus reſpuendi ſint indagemus. Piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesq́ue qui aliquid tractaſſe videntur ad gynæcea pertinens, longè arbitror pellendos à caſtris. fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & ceruorũ aprorumq́; venatores conueniunt, ſocietate militiæ; & hoc eſt in quo totius reipublicæ ſalus vertitur, vt tyrones non tantùm corporibus, ſed etiam animis præſtantiſsimi diligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentũ in prima dilectorum examinatione conſiſtũt. Nec leue putetur hoc officium, aut paſsim quibuscunq; mandandũ, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum in Sertorio præcipuè conſtat eſſe laudatũ. Iuuentus enim, cui defenſio prouinciarum,

rum, cui comittenda bellorum fortuna, & genere, ſi copia ſuppetat, & moribus debet excellere. Honeſtas enim idoneũ militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit eſſe victorem. Quid enim prodeſt ſi exerceatur ignauus? ſi pluribus ſtipendijs moretur in caſtris? Nunquam exercitus profecit tempore belli, cuius in probandis tyronibus claudicarit elector. Et quantum vſu experimentisq́; cognouimus, hinc tot vbique ab hoſtibus illatæ ſunt clades, dum longa pax militem negligentius incurioſiusq́; legit? dum honeſtiores quique ciuilia ſectantur officia; dum poſſeſſoribus addicti tyrones, per gratiam aut diſsimulationem probantur, talesq́; ſociantur armis, quales domini habere faſtidiunt. A' magnis ergò viris magna diligentia idoneos eligi conuenit iuniores. Sed huius rei vſum diſsimulatio longæ ſecuritatis aboleuit. Quem inuenias qui docere poſsit quod ipſe non didicit. Primi Lacedæmonij, experimenta pugnarum de euentibus colligentes, rem militarem, quæ virtute ſola, vel certè felicitate creditur contineri, ad diſciplinæ peritiæq́; ſtudia reuocarunt, ac magiſtros armorũ iuuentutem ſuam

vſum

vſum varietatemque pugnandi præceperunt edocere. O viros ſumma admiratione laudandos! qui eam præcipuè artem diſcere voluerunt, ſine qua aliæ artes eſſe non poſſunt. horum ſequentes inſtituta Romani, Martij operis præcepta & vſu retinuerunt & litteris prodiderunt, &c.

QVANTVM in prœlijs Lacedæmoniorum diſciplina profuerit (vt omittam cæteros) Xantippi declaratur exemplo: qui Attilium Regulum Romanumque exercitum ſæpè victorem cum Carthaginienſibus, non virtute, ſed artis ferè ſolo auxilio proſtratis exercitibus cepit, ac domuit: vnoq; congreſſu triumphans bellum omne confecit. Nec minus Hannibal petiturus Italiam, Lacedæmonium doctorem quæſiuit armorum; cuius monitis tot conſules, tantasq; legiones, inferior numero ac viribus interemit. ERGO QVI DESIDERAT PACEM, PRÆPARET BELLVM: VICTORIAM CVPIT, MILITEM IMBVAT DILIGENTER: QVI SECVNDOS OPTAT EVENTVS DIMICET ARTE, NON CASV. NEMO PROVOCARE, NEMO AVDET OFFENDERE, QVEM INTELLIGIT SVPE-

RIOREM FORE SI PVGNET, &c.

Tempore hyemis de tegulis & ſcandulis, quæ ſi deeſſent, certè de cannis, vlua, & culmo, & portus tegebantur ad equites; & quædam veluti baſilicæ ad pedites: in quibus tempeſtate, vel ventis aëre turbato, ſub tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem hibernis diebus, ſi niues pluuiæq́; ceſſarent, exerceri cogebantur in campo, ne intermiſſa conſuetudine, animi militum debilitarentur & corpora. Siluam cædere, portare onera, tranſilire foſſas, natare in mari ſiue flumine, gradu pleno ambulare vel currere, etiam armatos cùm ſarcinis ſuis frequentiſsimè conuenit; vt quotidiani laboris vſus in pace, difficilis non videatur in bello. Siue ergo legio fuerit ſiue auxilia; exerceantur aſsiduè. NAM QVEMADMODVM BENE EXERCITATVS MILES PROELIVM CVPIT, ITA FORMIDAT INDOCTVS. POSTREMO SCIENDVM EST IN PVGNA VSVM AMPLIVS PRODESSE, QVAM VIRES. NAM SI DOCTRINA CESSET ARMORVM, NIHIL PAGANVS DISTAT A MILITE.

Omitto

Omitto hîc breuitatis cauſſa multa, quæ variis in locis ad eandem rem pertinentia, ab eodem Vegetio præclarè dicuntur: & quemadmodum tyrones ad gradum militarem, & curſum, & ad palum, & vſum natandi exerceri velit. præterea vt potius punctim quàm cæſim ferire, vt miſſilia deſtinato ictu, lapidem item iacere, arcu ſcienter vti, pondus graue portare, decurrere, ſeruare in acie ordinem, caſtra ſolerter munire diſcant. quæ qui velit, apud eum videat: mihi hoc vnum quod ſequitur caput, epilogi cuiuſdam inſtar adieciſſe ſat erit.

In delectu atque exercitatione tyronum ſi quis diligens velit exiſtere, ad antiquam virtutis imitationem, facilè corroborare poterit exercitum. neq; enim degenerauit in hominibus Martius calor: nec effœtæ ſunt terræ, quæ Lacedæmonios, quæ Athenienſes, quæ Marſos, &c. progenuere. Sed longæ ſecuritas pacis, homines partim ad delectationem otij, partim ad ciuilia traduxit officia. ita cura exercitij militaris primò negligentius agi, poſtea diſsimulari, ad poſtremum olim in obliuionem perducta cognóſcitur. nec aliquis hoc ſuperiore ætate accidiſſe miretur, cùm poſt primum Punicum bellũ. viginti quatuor circulis & quod excurrit

annorum, pax ita Romanos illos, vbiq; victores, otio & armorum diſſuetudine eneruauerit, vt ſecundo bello Punico Hannibali pares eſſe non poſſent. Tot itaq; conſulibus, tot ducibus, tot exercitibus amiſsis, tunc demum ad victoriam peruenerunt, cùm vſum exercitiumque militare condiſcere potuerint. SEMPER ERGO LEGENDI ET EXERCENDI SVNT IVNIORES. VILIVS ENIM CONSTAT ERVDIRE ARMIS SVOS, QVAM ALIENOS MERCEDE CONDVCERE.

Ex his vnius Vegetij ſcriptis, quibus omnium hiſtoricorum conſenſus accedit, ſatis conſtare arbitror, quæ fuerit olim apud Romanos rei militaris diſciplina, atq; inſtitutio. Neq; ea ſolùm Romanis fuit, ſed & Perſarum antè fuerat, & nonnulla etiam ex parte Macedonum & omnium deniq; populorum: qui claram nominis ſui memoriam ad poſteros tranſmiſerunt. Qua de re videat qui velit Xenophontem, hominem rei bellicæ peritiſsimum; quæ ſcribat de Cyri maioris, in militibus legendis, exercendiſq; ratione, ab ea quam modò dixi Romanorum conſuetudine, haud longè diuerſa. Quo quidem ille ita parato exercitu breui tempore penè totius Orientis imperium ſibi adiunxit. Arrianus etiam, haud ignobilis ſcriptor concionentem in Macedones Alexandrum

xandrum, eosq́; vt beneficiorum immemores accuſantem, his verbis inducit: Philippus pater vos errantes ac vagos, rerum, omnium inopes, pleroſque etiam pellibus amictos paſtores, pro quibus cum Illyricis, Triballis, Thracibuſq́ue finitimis, continuè pugnabatis, in tutelam ac fidē ſuam recepit; ex montibus aſperis in plana & culta deduxit; pro pellibus chlamydes ornatas ferre dedit; armis inſtruxit, rem militarem docuit, vt non magis locorum munimentis ac ſitu, contra finitimos, quàm armis & virtute veſtra tuti eſſetis, &c. *Quibus ex verbis ſatis apparet, quibus primordijs iacta ſint illius celebris rei militaris Macedonicæ fundamenta, nimirum ex hominibus agreſtibus, montanis & paſtoribus. Sunt etiam ijs, quæ ſupra dicta ſunt, cōſentanea, quæ memoriæ prodidit Diodorus Siculus:* Philippus, *inquit*, conuerſus ad emendandum militarem diſciplinam, curauit vt decentibus armis milites ſui inſtructi eſſent, vt meditationibus bellicis exercerentur. *Excogitauit præterea ordinem illū Phalangis, quæ Macedonum peculiaris fuit, ſumpto exemplo heroum qui clypeos clypeis coniungebant in bello Troiano. De his iam factis veteranis deq́; eorum fortitudine vbi Alexandrum vrbē Halicarnaſſū oppugnantē deſcribit idē Diodorus ita meminit:*

VETERANI Macedones, qui per totum ætatis ſpacium ſemper in rebus arduis & periculoſis verſati erant, & ſub Philippo merentes frequenter victoriam conſecuti, ad ſummam fortitudinem ita prouecti fuerant, prudentia, & rei militaris cognitione longè omnibus præſtantes, tyronib. pugnam detrectātibus amariſsimis verbis ignauia exprobrata, ipſi in vnum coacti conſertis ſimul clypeis, hoſtes, qui iam ſe viciſſe arbitrabantur, exceperunt, Ephialteq́; & multis alijs interfectis rèliquos in vrbem fugere compulerunt, &c.

Horum militum virtuti deuicti Orientis & tanti imperij gloriam Alexander acceptam retulit. Sed iam eoſdem (quos ſupra dixi) obclamantes audire mihi videor, aliam fuiſſe illorum, aliam noſtri temporis eſſe rationem: illa iamdiu obſoleuiſſe: puerile ac nugatorium eſſe, vetuſtate ſepulta in lucem & vſum velle reuocare: debere nos noſtri ſeculi ſapientia contentos eſſe. Ego verò, etſi poſſum oſtendere, quod illis temporibus vtile & fructuoſum fuerit, non minus vtile & accommodatum fore rebus noſtris, tamen non agam multis rationibus cum ijs, qui rationi non facilè videntur velle dare locum: ſed ratiocinatione omiſſa ducam eos in rem præſentem, & veluti digito fontem commonſtrabo. Rogabo

itaq; ex iſtis, qui cùm ipſi nihil, quod opus ſit facto, in medium adferant, tamen ne nihil ſapere videantur, alienis conſilijs impensè detrectant; Num militem Turcicum in militibus numerari patiantur? Ac credo equidem, quæ ſunt peruicacia, non facilè aſſenſuros. ſed tamen ſi dubitent, ego pro eis reſpondere non dubitabo; Eum qui tantum terroris toti terrarum orbi intulerit, quacunque ingreſſus ſit, tantam ſtragem fecerit, tantum trophæorum erexerit, iure militem cenſeri. rogabo deinceps, hic miles, quomodo in militiam legatur, quomodo inſtituatur: Quod ſi ſe ſcire negabunt; dicam quæ ipſe præſens vidi, quæ meo periculo didici. Militem Turcicum, nihil aliud ſe, quàm hominem ita natum, ita lectum, ita informatum & exercitatum, vt paullò antè de Romanis dixi, et à nobis contendo fieri oportere, niſi quòd hic aliquanto deteriore conditione eſt, nam quod ad militem attinet, qui ituro in expeditionem Turcarum principi vltrò ſe offert ac nomen dat, quem Alcangiam vocant, ei apud Turcas exiguus honor eſt. Is miles habetur in pretio, qui perpetuo eius principis ſtipendio meret; quiq; certo iudicio ac ratione in eius principis legiones prætorianas relatus eſt. Cuius diligendi hæc ferè ratio eſt. Mittit quotannis Turcarum princeps certos homines in diuerſas prouincias, q de pueris è Chriſtianis hominibus natis, tertium aut quartum quemq; poſcant. Horum puerorum

 gregi-

gregibus Conſtantinopolim perductis, qui liberaliore ſunt aſpectu, aut ingenij maiorem indolem præſe ferunt, ipſius principis, aut Baſſarum, aut aliorum Satraparum domeſticis vſibus applicantur. Reliqui perducuntur in locum, in quem magna omnis generis hominum multitudo, præſertim ruſticanorum, confluxit. Hi de iſtis pueris, ab eo qui ei negocio praeſt, quos viſum eſt, depoſcunt. Ille, accepto nummo aureo; puerum petenti tradit, priús nomine eius, patria & conditione pueri, item annis, ſignisq́; quibus per omnem ætatem dignoſci poſſit, in publicas tabulas relatis. Sic illi liberum eſt, ſeu ruſticus ſit ſiue vrbanus, puerum trans mare in Aſiam ſeu quocunque terrarum velit, vbi domicilium habeat, aducere: vbi aſſiduè, labore atq; opere eum vt mancipium exerceat. Puero cibaria præbentur; panis & aqua; & interdum, loco obſonij, pultis aliquid, aut fructuum, aut herbarum. veſtitus ſuppeditatur, quo ſe aduerſus cæli iniuriam tueri vtcunque poſſit. Ad hæc diſciplina & religione Mahumetana inſtituitur. Ita deliciarum neſcius, procul à propinquorum blanditijs in virum robuſtum & cuiuis labori ferendo parem adoleſcit. Hic cùm eſt opus, ab illo fiduciario hero repoſcitur, & ad rem militarem traducitur. atquè ex hoc veluti ſeminario, diminutis Gianizarorum legionibus, ſupplementum ſubrogatur. Ad Gianizaros reſcriptus, primò meret menſtruo ſtipendio,

pendio, paulò plus minus, vnius ducati cum dimidio. Id enim militi nouitio, & [illegible]di ſatis eſſe cenſent. Sed tamen ne quid victus neceſsitati deſit; cùm ea decuria, in cuius contubernium aſcitus eſt, gratis cibum capit; ea conditione, vt in culina reliquoq; miniſterio, toti ei decuriæ ſeruiat. Sed eum rurſus, qui eſt eius decuriæ armorum peritiſsimus, præceptis militaribus erudit, quotidianaq; exercitatione; arma ſcienter tractare docet. Ita robur, laboris patientiam, & vſum armorum adeptus tyro; necdum tamen ſuis contubernalibus, honore neq; ſtipendio par, vnam in ſola virtute, ſe illis æquandi, ſpem habet: vtpote, ſi militiæ quæ prima ſe obtulerit, tale ſpecimen ſui dederit, vt dignus iudicetur, qui tyrocinio exemtus, honoris gradu & ſtipendij magnitudine, reliquis Gianizaris par habeatur. Qua quidem ſpe pleriq; tyrones impulſi, multa præclarè audent, & fortitudine cum veteranis certant: itaq; ampliore honeſtantur ſtipendio, quod octo ducatorum in Gianizaro ſummum eſt. Quem tamen ſi virtus, ac merita, ad altiorem locum vocent, aut ordinibus inter ſuos ducendis præficitur, aut equitibus prætorianis, quos Spahias vocant, adſcribitur. Qui ſuperſunt ex ijs pueris, quos ſupra dixi, Conſtantinopoli varijs operibus exercentur. Itaq; ſæpe videas C C. aut C C C. purgare aream, amoliri rudera, ferre lapides aut tigna, aut alia onera. otium nulli

 permiſ-

permiſſum, nec cui victus gratis conſtat. Hi ſimiliter poſtquam adoleuerunt, aut in terreſtres aut maritimas copias transferuntur. Et q in principis aulam ſeruitiumq́; lecti ſunt, ferè euadunt in viros primarios, maximiſq́; muneribus, vt cuiuſq; aut ſors aut mores tulerunt præponuntur. ex his ſupremi Gianizarorum duces, claſſium præfecti, Bellerbeghi atque ipſi deniq; Baſſæ Viſirij, diliguntur his. etiàm in matrimonium ipſius Principis filiæ collocantur. Quibus me ſatis planum feciſſe arbitror, qui ſit ortus, delectus, diſciplina, atque educatio, iſtius toto terrarum orbe tantoperè formidati militis Turcici. Neque tamen negauero, patêre item alios ad ordinem militarem aditus: ſed hæc ratio atque via inter illos vſitatiſſima eſt. nam quandoque etiam militem legunt ex ijs pueris, aut adoleſcentibus, quos excurſionibus, aut bello nobis indicto captos, intra clauſtra domoſq́;, quas Seraglia vocant, multos annos incluſos habuerunt. In quibus poſteaquam omnem memoriam, ſenſumq́; patriæ & rerum noſtrarum, ac præſertim religionis depoſuiſſe, atque in ludis, cùm Arabicarum literarum, tum armorum Turcicorum, ſub præceptoribus Eunuchis, ſatis magnos progreſſus feciſſe videntur, eos demum ſeptis illis emiſſos, cælo reſtituunt, & ad ea rei militaris munera traducunt, ad quæ maximè videntur idonei. Baſſarum quoque atque aliorum purpurato-

puratorum ſerui, bello vel alia ratione quæſiti, in numerum militum ſæpe reponuntur. Nec tamen ex his, quos dixi, quiſquam ſine certo diſcrimine, iudicioq́; recipitur. ſed explorata prius vniuſcuiuſque corporis, atque animi firmitate, vt tueri eum locum poßit cui ſit aſcriptus. In quo ſanè ſæpenumero ſum admiratus vim diſciplinæ atq; inſtitutionis Turcicæ, cùm viderem, homines apud nos contemtos, & abiectos paucis annis tantum profeciſſe apud iſtos; non modò vt gregarij militis nomen egregiè ſuſtinerent, verum etiam, omnium Turcarum iudicio, digni haberentur, quorum diſciplina alij militiæ rudimentis imbuerentur. Fiebat enim nonnunquam, vt cùm animi cauſa, de feneſtra in publicum proſpicerem, aſſidentes Turcæ quoſdam mihi commonſtrarent, quos propter egregium armorum vſum, tyronibus inſtituendis præfectos dicerent. Rogabam qua gente aut qua natione eſſent oriundi, nam qui inter eos armorum opinione tantoperè excellerent, neſcio quos Parthos, Bactrianos aut Maſſagetas cogitatione mihi fingebam. Sed audiebam, hunc eſſe Hungarum, illum Croatam, tertium Germanum. mirabar equidem. verumtamen hanc tantam præſtantiam, ex vſu armorum, quæ apud nos tractaſſent, quòd nobili loco nati, quòd liberaliter inſtituti, quòd militaſſent, proficiſci ſuſpicabar. Pergebam quærere, num ſcirent quem illi apud nos locum tenuiſſent, quodue

genus

genus vitæ ſecuti fuiſſent. illi cùm aliquantiſper cogitaſſent, in memoriam venire ſibi aiebant: hunc ſolitum dicere ſe neſcio cuius coqui fuiſſe puerum; alterum ſe vitæ monaſticæ initiatum: illum verò cauponi promendo vino locaſſe operas. eoſq́ belli, vel induciarum tempore, interceptos, atq́ in reliqua præda, Conſtantinopolim perductos, in iſtius vel illius Baſſæ familiam perueniſſe. Hîc ego etiam magis admirans, & quínam, inquam, fieri potuit, vt iſti euaderent in tantos bellatores? commemorabant dominos quibus illi obtigiſſent, domi habuiſſe viros inſignes, magiſtros armorum, magno iudicio ſcientiaq́ rei bellicæ præditos; quibus (cùm eos tum ex corporis tum ex animi ſignis, dignos iudicaſſent quibus operam impenderent) in diſciplinam traditi eſſent. Sub quibus breui tempore tantum profeciſſent, vt omnes æquales longè ſuperarent, & non obſcuram futuræ virtutis ſpem de ſe darent. ſecuta deinde fuiſſe bella, in quibus nauata ſtrenuè opera eximiæ fortitudinis ab omnibus laudem, ac teſtimonium reportaſſent, hinc ad tantam auctoritatem perueniſſe. Quum hæc audirem; afficiebar non mediocri dolore; noſtros mores ab hac Turcarum conſuetudine tantum differre; hanc illis rationem inuidebam: habent enim hoc omnino Turcæ, vt hominem nacti egregium, tanquam adepti rem precioſam, vehementer gaudeant, neq́ in eo excolendo quicquam laboris

aut ſtu-

aut ſtudij prætermittant : præſertim ſi ad rem militarem idoneum eſſe cognouerint. Noſtra longe diuerſa eſt ratio. nam nos quidem ſi quem bonum canem, accipitrem, aut equum ſumus nacti, valdè lætamur, neque vlli rei parcimus, dum illum ad ſummam in ſuo genere perfectionem perducamus. In homine verò ſi quem præclara indole nanciſci contigerit, non perinde elaboramus; neq; eius inſtitutionem ad nos magnopere pertinere exiſtimamus. Ac nos quidem ex equo, cane, atq; accipitre bellè aſſuefactis, varias oblectationes, multiplicemq́; vſum capimus: ſed Turcæ ex homine bonis moribus informato tanto maiorem, quanto reliquis animantibus natura hominis præſtantior eſt atq; excellentior. Iam verò ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror, non nouum neq; inauditum eſſe, quod de milite certo cum iudicio diligendo inſtituendoq́; contendo, ſed cum ab ipſis Romanis, tum à cæteris gentibus, quæ imperia tenuerunt, aut armorum laude floruerunt, vſurpatur; neq; rurſus adeò obſoletum, aut à noſtræ ætatis moribus tam remotum, vt ad vſum noſtrum reuocari non poſſit; quandoquidem experiamur quotidie, quid exculta tali diſciplina Turcorum arma valeant, modò ne nos pigeat, rei adeò neceſſariæ ab illis partem mutuari; quando illos tam multa, quæ ex vſu ſuo eſſent de nobis ſumere non puduerit. Quod ſi fecerimꝰ, faxim profectò, vt breui cognoſcamus

non

non minus ad ſalutem nobis bonam diſciplinam valere, quàm hactenus ad noſtram perniciem valuiſſe ſenſerimus. Quæ quidem vna reſtat, in hac periculoſiſsima tempeſtate veluti anchora ſacra, qua afflictæ Reip. noſtræ pænè naufragam nauem retinere, iugum à ceruicibus, cædem à capitibus noſtris depellere queamus. Vnaquæq; res qua ratione paratur, eadem ſtabilitur et conſeruatur: vt regna atq; imperia virtute militari, beneq; inſtituti exercitus viribus quæruntur, eadem etiam ratione conſeruantur. ſi tollas arma, remoueas militem, diſciplinam negligas: mox aut per ſe regnum concidet, aut in prædam cedet finitimis. Ad regni maieſtatem conſeruandam, non tam diadema aut ſceptrum prodeſt, quàm ferrum. fruſtra illo caput ornes, hoc dexteram, niſi gladio accinctum ſit latus: niſi ferro muniatur, debile ac mācum fuerit omne imperium. neq; vlla vnquam diuturna poteſtas erit, quàm arma non tutentur. Sed arma dico, non falſo nitore, ſpecieq; fallentia, ſed vera, ſed ſolida, ſed omni vitio expurgata Quicquid corruptum eſt, atq; à ſua perfectione degenerauit; aut minimum adfert vtilitatis, aut non modò nihil prodeſt, verumetiam nocet. quamdiu arma Romana, militari diſciplina viguerunt; extremæ tum quæq; orbis terrarum oræ, eorum legionibus patuerunt: ſed poſtquam diſciplina corrumpi, virtusq; militum, neglectis

veteri-

veteribus inſtitutis, remolliri cœpit; non modò maxima imperij pars amiſſa, ſed ne ipſius quidem vrbis Romæ mœnia ſuo præſidio Quirites à cæde direptioneq́ incolumes præſtiterunt. Itaq; tunc illa gentium omnium caput ac princeps ciuitas, cunctis nationibus præda aut ludibrio fuit, non ſecus ſua ſpolia atq; exuuias repetentibus, quàm ab illo graculo Aeſopico cæteræ aues ſuas plumas. Nobis verò eò minus tergiuerſandi occaſio datur, quò mortiferum vulnus nobis propinquius imminet; quò magis viſcera noſtra hoſtium telis nuda patent: nec vlla nobis præter hanc vnam, ad ſpem ſalutis, via proponitur; quàm ſuperatis & perruptis quibuſcunque impedimentis, ſi quicquam nobis rerum noſtrarum carum eſt, ſine dubitatione perſequi debemus. Eſt vbi Reſpubl. moderatori, propter rei nouitatem, propter præſentis ſeculi mores, propter ciuium captum & ingenium, aliaſq́; item manifeſtas difficultates, ab eo quod erat rectiſſimum, nonnihil interdum deflectere liceat. at in huiuſmodi anguſtijs deprehenſis, vbi certum communis ſalutis excidiũ ante oculos poſitum ſit, conſtanti animo, per eam ſemitam quæ ſola ad arcem & præſidium patet enitendum. ijs populis, quibus adhuc longæ ſunt ſpes, quòd ab hoc hoſte procul diſiuncti ſunt, licet quibuſuis, vel linteis, ſi velint, armis, corpus tegere, aduerſus tela quæ nondum ad eos pertinere

tinere poſſunt. Nobis, qui intra hoſtilis teli iactū verſamur, vel qui cum hoſte potius iam ad manus & gladios venimus, non niſi probatiſsimis & firmiſsimis armis, ſalutis noſtræ tutela committenda. Sed non deerunt, quibus hic noſtrarum virium apparatus tenuior neq; ſatis idoneus videbitur, qui tantis Turcarum opibus atq; potentiæ opponatur. quibus reſpondeo à me id agi, vt ſolida perennis exercitus fundamenta iaciantur: iiſq; ſemel conſtitutis, in reliquo ædificio conſtruendo, non multum fore negotij, polliceri. his enim initijs poſitis, quicquid acceſſerit auxiliorum, mox iuſti exercitus corpus efficiet. Acceſſura autem impenſius auxilia, vbi iam nos nobis de non contemnendo præſidio proſpexiſſe, paratiſq; in hoſtem copijs, excubare, longè lateq; fama diſſipauerit; clarius eſt, quàm vt multis demonſtrare ſit opus. etenim natura pænè ipſa nos iis conciliat, quos armis atq; animis ad quemcunq; fortunæ motum conatumq; paratos videmus. contrà verò ab eorum beneuolentia nos reuocat, quos inermes imbelleſq; cuicunq; obnoxios iniuriæ animaduertimus. Itaq; præclare Xenophon, vt reliqua omnia, eos qui ſemper in promtu & expedita habeant arma, hoc conſequi dixit, vt amicos habeant multos, inimicos nullos. Siquidem ad eorum amicitiam, qui poſſint prodeſſe, omnes libenter accedere, tanquam ad arcem, vbi rebus ſuis, dubijs temporibus, perfugium paratum ſit:

ſit: quemadmodum ex altera parte, inimicum habere nemo velit, quem ita ſemper inſtructum & paratum norit, vt cùm velit nocere, poßit. Qua ratione fit, vt dum ceſſamus ipſi, neq; quicquam conamur, dum haſtas abijcere, ac de noſtra ſalute deſperare videmur, atq; ex aliena tantùm ope pendemus; omnes propemodum non modò vicinitatis, ſed etiam ſanguinis neceßitudine nobiſcum iuncti, nos contemnant & deſerant: ad armatum verò & ſibi præſidentem hoſtem, etiam illi ſeſe aggregent, quos ſi nihil aliud, certè diuerſißima religionis ratio, retraxiſſe debebat. Tanta vis eſt expeditorum armorum. Quod itaque felix & fauſtum ſit in DEI omnipotentis nomine, eamus ad ſaga, capeſſamus arma; eo quidem animo, quo decet, contra tantum hoſtē. Ipſi primi armipotentis Mineruæ ſacris initiemur; eiusq́; ſtudijs nos totos deuoueamus. primi manum adhibeamus ſtiua & noſtro pro virib. fungamur officio. Deus mox conantibus aderit, neq; deerunt cùm vicinorum tum neceſſariorum auxilia, vbi nos nobis non deeſſe cognorint. Non conquieſcamus, donec vt minimum (quod exempli cauſſa dictum velim) præter ordinaria præſidia ad XII. milia peditum (nam de equitatu dicemus aliàs) ex noſtris popularibus delecta, probè armata, exercitaq́;, habeamus. hic animus & hoc inſtitutum noſtrum non modò vicinorum & neceſſariorum noſtrorum, verum et-

 iam

iam alienorum inſperata auxilia, cùm res poſcet, conciliabit & adiunget. Quòd ſi quandoq; nos omnia deſtituant, his tamen copijs, & æſtatis tempore munitionib. incluſi, hoſtium impetum reprimere, et hieme ita in eorum fines incurrere poterimus, vt laceſſiuiſſe illos pœniteat; atq; inducias, quas vix nunc à ſe redimi patiuntur, cùm petant vltrò, tum multò, quàm fert eorum conſuetudo, ſeruent diligentius. Nunc quicquid increpuerit trepidare cogimur, & ſi præſidia noſtra laborent, aut nec opinata aliqua vis ſubitam opem requirat, nihil habemus, quo vel noſtris ſubſidio ire, vel hoſtium impreſſionem morari ſaltem, & retardare queamus. Sed hæc (dicendum eſt enim tanta de re ſæpius) ſtudium quoddam eximium & ſingulare deſiderant; neq; verò alibi non modò cogitationum, ſed nec delectationum noſtrarum maiorem partem rectius collocauerimus, neq; vlla ex re laudem iuſtius quæſiuerimus, quàm ſi noſtras copias indies virtute & diſciplina magis magisq; proficere & coaleſcere videamus. Placeant ſibi alij auratis tectis, alij exquiſitis hortorum amœnitatibus delectentur: ornamentā domus alij, ſigna, tabulas & plurimum lautæ ſupellectilis oſtentent. Nobis hæc pacis decora, hæc belli præſidia faciant animos; his nos amicis, qui ad nos deuerterint, venditemus; his gloriemur. quid enim præclari hoſpitis oculis poſſit eſſe gratius, quàm videre tantū ſelectæ iuuentutis numerum,

armis

armis fulgentem, robore & velocitate præſtantem, ſclopeto, haſta, gladio, & quocunq; teli genere, pulcerrimè decertantem, ad omnes præfectorum nutus, quacunq; ſe circumagentem, verſantemq́; : deniq; ſumma vultus atq; animi alacritate hoſtem, & prælium depoſcentem? Huiuſmodi iuuentutem, imperij ſpem ac fundamentum. videlicet Gianizaros, non immeritò Turcarum princeps, filios ſuos vocat. Memorant Philoſopœmenem, quem Græcorum Imperatorum vltimum dixerunt, cùm videret antiquam Græcorum rei bellicæ laudem per ignauiam, & diſciplinæ militaris neglectum ſeneſcentem, breui intermorituram, atq; ei rei vt patriæ amans ciuis inprimis ſubuentū cuperet; haud paruum nobiliſſ. iuuentutis comitatū ſibi aſciuiſſe, quam belli artib. inſtitueret: Quumq́; aliquando cum hoc iuuenū globo, militari veſtitu decenter ornato, in quoddam Græciæ theatrum, multitudine hominum refertū, introijſſet; magnum illi ab vniuerſo illo populo plauſum datū, ſummisq́; exceptum laudibus. Cuius quidem plauſus is ſenſus fuit, quòd ille populus intelligebat, quid ei ciui deberetur, qui patriæ gloriam quantum in ſe eſſet, ab interitu reuocaret, & iuuentutem ad militare decus, virtutemq́; capeſſendam, excitaret. Nos quoque quis dubitet quin Dijs hominibusq́; approbantibus, ſummo totius populi Chriſtiani applauſu, communis ſalutis cauſſam ſimus ſuſcepturi, labentemq́;

 rei mi-

rei militaris laudem, in priſtinam dignitatem vindicaturi. Sed non ero longior, & finem faciam, ſi prius eò paucis me retulero vnde hæc defluxit oratio: Si monuero & inclamauero, ſi obteſtatus fuero, vt in tanto periculo, quanto poſt orbem terrarum conditum, nulla vnquam gens verſata eſt, ab eo, cui indormiuiſſe videmur veterno, aliquando excitemur, Reiq́ꝫpubl. ad exitium ruenti ſuccurramus: has ſedes, hoc nomen, hæc decora, tanta cum laude à maioribus noſtris parta & nobis tradita, conſeruata velimus. Conſeruandi autem vnicam eſſe rationem, ſi aduerſus vim, ad vim & arma conuertamus; arma verò, non fortuita neqꝫ tumultuaria, nec procul quæſita, ſed noſtra, ſed expedita, ſed magno iudicio magnaq́ꝫ ratione delecta, exculta & inſtituta. Nihil poſtremò nobis debere videri tanti ſciamus, quod vt huc perueniatur, non cupidè ſubeamus; exemplo eorum qui loco parum munito formidoloſa premuntur obſidione, qui cum iam iamqꝫ in hoſtis poteſtatem venturos ſe videant, omniaq́ꝫ extremæ crudelitatis exempla ab inſolenti victore timeant, ad eum repellendum, nihil non perpetiuntur & faciunt: neqꝫ quicquam graue ſibi ducunt, neqꝫ vlli rei parcunt, modò ſummæ rerum & publicæ ſaluti conſulant. Quod ſi ſecus ſtatuerimus, nobiſq́ꝫ & reipub. per ignauiam aut mentis errorem defuerimus, relictum iri aliud nihil, quàm aut migremus in alias terras, quod multæ ſæpe

tæ ſæpe fecerunt gentes, vicinorum iniuria coactæ, auitiſq́; poſſeßionibus hoſti pro victoriæ cumulo relictis, eius immanitatem fuga declinemus, aut certè ad vnum pereamus omnes. Sed migremus citius (ſi adeò in nobis omnis obſoleuit virtus) bonaq́; noſtra, agros, tecta, lares hoſtis ante poßideat, quàm corpora; quàm ſanguinem noſtrum hauriat; quam liberorum & coniugum pudori fœdißimè illudat, & (vt vno verbo dicam) potius quàm eam rerum omnium indignitatem videamus, quàm tot Aſiæ, Africæ, atq; Europæ populi, ab Orientis regionibus ad noſtros vſq; fines, maiore terrarum, quàm temporum interuallo, ſubierunt. Nam cùm iiſdem nos quibus illi veſtigiis, ad exitium præcipitemus, ſitq́; idem prorſus rerum noſtrarum, qui fuit illorum, antequam perirent, ſtatus, idem in cauſſa pari nos exitus manet. Sed cur migremus? militemus potius, & quæ nobis ſalutis ſubſidia largißima manu Deus benignè ſuppeditat, alacres & grati ſuſcipiamus. Nos ad arma in quibus poſt Deum ſpes vna ſalutis ſupereſt, ingentibus animis atq; ita conuertamus, vt virtute noſtra & magnitudine periculi, & exitio quod nobis impendet dignum eſt.

SERIES IMPERATORVM TVRCICORVM.

TVRCÆ communem cum Tataris originem Scythicam habent: eadem ferè lingua, moribus, armis, & bellandi ratione nunc quoq; vtentes. Nomen Turci, ſeu, vt ipſi pronunciant, Iurchi & Tzurki, ſignificat ipſorum lingua, νομάδας *paſtores, ſine certis domicilijs, paſcuorum cauſſa, cum familijs & pecoribus agminatim vagantes. Quales nunc ſunt Tatari, & Turcæ olim fuerunt, & paßim in oriente adhuc Turcmani, paſtores ac ruſtici, eodem more vitam degentes, mapalia ſecum ſua circumferunt. & Ottomanum, qui prima ſplendoris & potentiæ ac Imperij familiæ Ottomanicæ fundamenta iecit, ex armentarijs ortum, virtute & felicitate ſingulari, in monomachia victo hoſte, villam Otomanzicam dono ab Aladine accepiſſe, & ab illa Ottomani nomen adeptum eſſe, Theodorus Spanduginus Cantacuzenus tradidit. Poſtea, creſcente potentia & imperio, pudere Ottomanicos nominis Turcici cœpit: ita vt nunc, milites præcipuè & aulici, moleſtiſſimè ferant, ſi quis eos Turcos, ceu ruſticos, appellet: ipſi verò non Turci, ſed Muſulmani (Orthodoxi, rectè Deum agnoſcentes & colentes) nominari geſtiant. Extat nomen gentis apud Plinium, qui eos in Sarmatiæ Aſiaticæ ſeu Scythiæ tractu vltra Mæotidē*

ad Cau-

ad Caucaſum vicinos Tyſſagetis collocat; & apud Herodotum vicini Tyſſagetis ſunt Ἰύρκαι, *ſeu Iurchi & Iurkæ, vt hodie ipſi pronunciant. Sed eos, qui nunc in Aſia dominantur, Turcas Perſici Imperij accolas verſus ortum ac ſeptentrionem, qua Tattarorum imperio iungitur (vbi regnum Turqueſtan, Haithonus; & magnam Turciam, Paulus Venetus collocant) fuiſſe, ac inde in Perſiã & reliquam Aſiam progreſſos eſſe, conſtat. Refert enim Haithonus, primùm euocatos Turquimannos ſeu Turcas, à Perſarũ rege Hormisda, ingruente Saracenorũ irruptione fuiſſe A. C. 640. Sed Saracenos præuertentes priuſquam coniungerẽtur Turcica auxilia, Perſas ingenti prælio victos regno exuiſſe. Turcas verò, cùm familijs, Nomadũ more, tardius progreſſos, accepto victoriæ Saracenicæ nuncio, in finibus Coraſenæ Perſis finitimæ (Hyrcaniæ aut Sogdianæ) conſtitiſſe, cumq́; virib. ſe Saracenis impares viderent, ſponte miſſis Babylonẽ ad Calipham legatis, ſe imperio illius ſubieciſſe, & aliquot ſeculis, auctos multitudine ac viribus, & in multas nationes propagatos, Caliphæ ſuaſu. Mahometanã legem omnes amplexos eſſe. Elapſis autem aliquot ſeculis, cùm Soldani Saracenorum inteſtinis ſeditionibus & diſsidijs inter ſe, & cum Calipha ſuo, agitati, bella gererent: Mahometes, Perſiæ Soldanus, Calipha viribus inferior, Turcas vicinos aduerſus illum excitat, eorumq́; fide ac robore victoriam obtinet.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Sed ſtipendia illis promiſſa poſt victoriam ſoluere recuſans, ab illis auxiliarijs ſuis bello petitus, victus, & regno priuatus eſt. Turci Perſiæ regno potiti, Saracenorum potentiam inteſtinis bellis languefactam cernentes, paulatim plures regiones ac prouincias in Aſia ſubigunt, donec tandē poſt annum Chriſti milleſimum, proprio principe ſeu Imperatore electo Tangrolipece Mucaleto, (quem Tyrius, Selduchum: Haithonus, Zadocum: Leo Afer Meliſachum nominare exiſtimantur) excuſſo Saracenorum iugo, ijſq; oppreſſis, primum dominari in Perſia, & reliquis Aſiæ prouincijs vſq; ad Pontum Euxinum cœperunt, & Caliphæ titulo priſtinæ dignitatis relicto, principem ſuum Tangrolipecem ſeu Zadocum, Aſiæ Imperatorem ab eo, volente nolente confirmari curarūt. Huic Dogreſſa filius; Aſpaſalem nepos, & cæteri, ſucceſſerunt. quorum ſeriem Haithonus cap. 15. recenſet, qui Aſpaſalemi nepotem fuiſſe SOlymannum affirmat, qui Cappadocia & vicinis Aſiæ minoris gentibus domitis, Niceam tandem occupauit, & cum Chriſtianis Argonautis, Godfrido Bulioneo duce, Aſiam primùm adeuntibus, & poſtea ad Antiochiam conflixit. Huius filius fuiſſe exiſtimatur Aladinus, Turciæ Soldanus, Iconij habitans: nepos Maſutus, à Conrado III. ad Mæandrum victus: Pronepos, Clizaſtlhanes, Emanuelis Comneni & Friderici Barbaroſſæ Impp. ætate, qui Henricum Leonem Saxoniæ

ducem

ducem hoſpitio excepit. Quatuor filios habuit, qui cum patre, ac inter ſe bellum geſſerunt: eorumq́ poſteri ſimiliter inter ſe mutuò graſſati ſunt. Interea in maiore Aſia, Tatari, ab Armeniorum rege euocati, TVRcarum potentiam languefaciunt, ac Imperium deſtruunt. Qua occaſione plures Turcæ, Tatarorum violentiæ cedentes, in minorem Aſiam conceſſerunt. Vbi regia ſtirpe iam inteſtinis odijs & diſsidijs vileſcente, πολυκοιρανίη diuerſorum principum & familiarum extitit, ex quibus OTHOMANICA *tãdem ſuo quodam fato, cæteris oppreſsis, imperium ſola obtinuit, & ad noſtra vſq; tempora florentiſsimum propagauit. Recenſetur autem in annalibus Turcorum, recens latinè editis, longa ſeries maiorum Othomanni, quos in Choraſcne, Perſis ad ſeptentrionem & ortum vicina, veteri Turcorum ſede, ante Tataricas impreſsiones præfuiſſe exiſtimant. Cuius fide autoribus ſuis relicta, ordinem Imperatorum TVRcicorum cõtinuum, ab Othomanno, Rodolphi I. Imp. quem Habſpurgenſem vocant, coætaneo; vſq; ad Amurathem II I. qui nunc cum Cæſare Rodolpho II. bellum gerit, explicatam in tabella, oculis ſubijciam.*

I. Othomannus, circa annum Chriſti 1300. Imperator belli contra Græcos delectus, Niceam & Pruſam Bithyniæ tandem cepit, eamq́ imperij Turcici ſedem fecit 1327. ⊕ 1328.

II. ORchanes, Niceam recuperat, cui Solymannum filium præficit, qui ad Helleſpontum vſq; imperio propagato, in Europam primus traiecit, & Callipolin occupauit. duobus ante patrem menſibus obijt circa 1358.

III. AMVrathes Helleſpontum transgreſſus, plurima Thraciæ oppida, & in his Adrianopolin cepit circa 1360. Ianizaros inſtituit. cum Lazaro Seruiæ deſpota bellum gerens, in Coſouæ campis à ſicario interficitur 1390.

IV. BAIAzethes I. Conſtantinopolin obſedit. Sigiſmundum Vngariæ Regem ad Nicopolin vicit circa 1395. plæriſq; Turcarum principibus in Aſia anteriore oppreßis, ditiones ademit, qui exules, Tamerlanem Scytham attraxerunt, à quo captus Baiazethes & caueæ ferreæ incluſus: proceres verò, in ditiones amiſſas reſtituti ſunt circa A.C. 1403. vt annales Turcici annotant, noſtri 1397. Sex filios reliquit, qui reuerſo in Scythiam Tamerlane, inteſtina bella de imperio decennium ferè geſſerunt.

Solimannus. Moſes. MAHOMETES I. fratrum victor, regnum lacerum recollegit. Caramannum à Pruſæ obſidione depulit. VValachos Tranſalpinos contra Sigiſmundum iuuit.

VI. AMV-

VI. AMVrathes II. Muſtapham & Aſiæ principes ſeditioſos opprimit: VValachiam tributariam reddit, Seruiæ principem eijcit 1427. Theſſalonicam capit 1431. Belgradum fruſtra tentat. Chriſtianos ad Varnam prælio memorabili vincit 1444. pridie Martini. rurſus in campis Coſouæ 1448. ⊕ 1450.

VII. MAHOMetes II. Conſtantinopolin expugnauit 1453. die 29. Maij. à Belgradi obſidione depellitur 1456. Sinderouiam capit 1459. Sinopem & TRAPezuntem occupat 1461. Leſbum 1462. Peloponneſi oppida plurima ſubigit. BOSſenam Stephano rege interfecto, in prouinciam redigit 1464. Epirum 1466. Eubœam Venetis adimit 1470. Vſuncaſſanum Perſam prælio vincit 1474. Scodram irrito euentu obſidet. à Moldauo profligatur 1475. Capham occupat 1476. Scodram capit 1479. Rhodum fruſtra tentat 1480. Hydruntem in Italia expugnat 1481.

BAIAzethes II. cuius frater Zemes in Italia exulauit. Cheliam ſeu Achilleam, & Neſteralbã vrbes ad Danubij & Tyræ oſtia ſitas, in VValachia occupat 1485. cum Cairbeio Aegypti Soldano infeliciter bellum gerit 1487. vſque 1491. euocatus à Ludoico Sfortia, Venetos oppugnat, Naupactũ, Methonem & alias Peloponnenſi vrbes Turcis ſubijcit 1499. 1500. Techellē religionis prætextu in Aſia tumultuantem profligat 1510.

Selymo

Selymo filio coactus imperium cedit 1512.

SELYMVS, à cæde fratrum regnum ordi-tur. HISMaëlem Sophum Perſarum regem in campis Calderanis vincit & Tauriſium diripit 1514. cæſo ad Singam fl. Campſone, Alcairi Soldano, Damaſcum, Hieroſolymam & Aegy-ptum vniuerſam occupat 1516. ⊕ 1519.

SOLYMANNVS, Albam Græcam, Vnga-riæ propugnaculum ad Danubium expugnat 1521. RHOdum, 1522. exeunte. Ludoicum Vngariæ regem ad Mohacium cædit 1526. euo-catus à Ioanne Cepuſienſi, Vngariæ regnum illi tradit, & VIENnam obſidet 1529. redit ad fi-nes Auſtriæ 1532. Barbaroſſam, qui Algieram ceperat, Imperio maris præficit 1534. Ipſe con-tra Thomam Perſarum Regem profectus, Meſo-potamiam & Babylonem illi eripit 1535. 1536. Aulonæ ſedens Corcyram tentat 1538. Caſtel-lum Nouum in Dalmatia expugnat 1540. Mor-tuo Ioanne Cepuſienſi, à vidua euocatus, Ferdi-nandi exercitum, Budam obſidentem, profligat: BVdæ Baſſam præficit. Viduam cum filio in Tran-ſyluaniam relegat 1541. Peſtum contra totius Germanici Imperij vires defendit 1542. Strigo-nium & Albam Regalem capit 1543. tandem Ferdinando Romanorum & Vngariæ Regi ſub pactione annuæ penſionis, quam Tributum ille vo-cabat, inducias conceſſit 1546. aduerſum Per-ſas denuò profectus, VAno in finibus Mediæ & Arme-

Armeniæ Beglerbegum præficit 1549. 1550. Tripolin in Aphrica occupat 1551. TEMeſvvar in Vngaria & viciniam debellatam nouo BASſæ tuendam commendat 1552. Muſtapham filium primogenitum Halepi interficit 1553. Zygethum fruſtra obſideri iubet 1556. Baiaſethem filium ſuccedere patri cupientem, cùm prælio victus ad Perſarum regem confugiſſet, cum quatuor nepotibus, interfici curat 1558. 1559. Chriſtianos Tripolin recuperaturos Turcæ ingenti clade ad Gerbos deleuerunt 1560. Melitam fruſtra oppugnant, ſed CHIum Genuenſibus eripiunt 1565. Euocatus à Iohanne Tranſyluano Solymannus in Vngariam ad Zigethum moritur 1566. ætatis 76.

SELYMVS II. cum Maximiliano II. Imp. pacem fecit, ſingulis octenniis renouandam 1568 VEnetis CYPrum eripit 1570. 1571. vincitur nauali prælio ad Echinadas. Tunetanum regnum in Aphrica, anno quadrageſimo poſtquam à Carolo V. occupatum fuit, per Synamum Baſſam, nunc in Vngaria copiis Turcicis ſummo cum imperio præfectum recipit, & Gulettam ſolo æquauit 1574. eodemq́; anno exeunte obiit.

AMVRATHES III. cum Perſarum rege Mahomete Hodabende (Dei ſeruo) & illius filio, bellum varium ac diuturnum annos ferè quatuordecim geſſit. Quo vix compoſito, in Chriſtia-

ſtianos & Cæſarem Rodolphum, à cuius militibus Baſſa Boſnenſis & alij ad Siſciam recens interfecti fuerant, arma conuertit 1593. cuius belli occaſionem paulò altius repetam.

Superiore anno 1592. Turci, duce Hazan Baſſa Boſnenſi, in Croatiam ex Boſſena progreſſi, oppidum & arcem VVihitz, quæ annos iam 150. orbis Chriſtiani propugnaculum in eo tractu aduerſus Turcas, firmum & incolume manſerat, ex improuiſo obſeſſam aliquandiu & deditam occuparunt. & nouam, in vicinia, ad Colapin fl. ex roboribus arborum, munitionem, Petriniam, vna cum ponte, paucis diebus excitantes, in amœniſs. agrum, inter Colapin & Sauum, longè lateq; rapinis & incendijs graſſati ſunt. Quæ inſperata Turcarum impreſsio, ingentem terrorem omnibus finitimis gentibus Auſtriacis & toti Germaniæ incuſsit. Has incurſiones, vt à Thuropoliæ agris hæreditarijs, Thomas Erdeud, Slauoniæ Banus, auerteret: coniunctis ſecum Stiriacis & vicinorum copijs, è regione nouæ arcis Petriniæ & pontis recens ædificati, conſedit: cùm ex Slauoniæ & Croatiæ regnis, nondum omnes, quæ expectabantur, copiæ conueniſſent. De his edoctus à proditore quodam, Bani Slauoniæ familiari, Hazam Baſſa Boſnenſis, per compendia viarum, noſtros, nondum de numero & molitionibus hoſtium ſatis explorata omnia habentes, repentè aggreſſus, à tergo multi-

multitudine copiarum circumuentos profligauit, ac elapſo equitatu, pedites inprimis Stiriacos immaniter concidit, & maioribus aliquot tormentis potitus eſt. Inde per totam Thuropoliam & populoſiſſimas Saui & Colapis ripas, impunè vagatus, ad quatuor millia hominum, partim in deplorandam ſeruitutem ac morte triſtiorem, abduxit, partim trucidari curauit. Siſſekium verò arcem, ad Colapis & Saui confl. ſitam propter tranſitus in Stiriam, Carinthiam & Carniolam opportunitatem, aliquoties antea tentatam, omninò in ſuam redigere poteſtatem cogitabat. Sed Nicolai Miccacij præfecti, & militum præſidiariorum virtute ac fortitudine ſingulari, repulſus eo tempore, obſidionē Siſſecki, aliquot oppugnationibus fruſtrà ſuſceptis, deſerere coactus eſt.

Præſentis verò anni 1593. æſtate, Hazan Baſſa, cum aliquot Sangiacbegis, quorū nouē ſuo ſubiectos imperio habet, reuerſus, expugnata primùm Treſchina, epiſcopi Zagabrienſis caſtello, ad Siſekij obſidionem, initio Iunij rediјt, & diſiectis vi tormentorum muris, & interdiu noctuq; continuatis oppugnationib. actum iam de obſeſſoram ſalute & planè deſperatum erat, niſi Deus ἀπὸ μηχανῆς opem & ſalutem miſeris tuliſſet. Etſi enim numero longè inferiores Turcis Cæſareanorum copiæ, ex vicinis gentib. Auſtriacis collectæ, erant; quas Slauoniæ Banus, & Auerſpergius, & Rupertus Ekenberger, & alij viri nobiles, inter

inter quos Melchior Rederus, baro Sileſius, literis & armis clarus, ducebant: tamen cum in extremas anguſtias obſeſſi perueniſſent, ſingulari magnitudine animi, conſtantia & virtute inuicta, hi duces, adductis in viciniam Siſſecki copijs, Turcas, diuiſa, trans & cis Colapin ponte iunctum, caſtra habentes, adorti; eos, qui à citeriori ripa ſibi occurrebant, profligarunt, & pontis parte occupata & diſiecta, præcluſo ad ſuos reditu, ad flumen propulerunt, cui ſe committere, & in aquis ſuffocari, quàm in victorum manus venire maluerunt. Cæteri, qui trans fl. hæſerant, clade ſuorum conſternati, fuga dilapſi ſunt. Perierunt flumine obruti, Hazan Baſſa Boſnenſis ipſe, cum fratre: & Sinam Begus ſeu præſes Cliſſæ, ex ſorore Amurathis Turcici Imp. natus; & Memybegus ſeu præſes Hertzegouinæ, quæ ſuperioris Boßinæ, olim ducatus, metropolis fuit. cùm inferioris Boſnæ, olim regni, metropolis Bagnia Luca, Baſſæ hoc tempore ſedes, fuiſſet.

Tantoperè autem Amurathes Turcarum Imp. hac ſuorum clade, in qua ſororis filius, & ipſe Baſſa Boſnenſis, & alij fortes viri cæſi, vel in Colapi ſubmerſi fuiſſent, exacerbatus eſt, vt accedentibus etiam ſupplicibus ſororis ſuæ, vindictam miſerabili voce ac geſtu de interfecto filio poſcentis, lamentationibus, & Sinami Baſſæ cohortatione, & acceptæ cladis ignominia & dolore ardens, ſtatim bellum aduerſus Rodolphum Cæſarem,

rem, apertum decerneret; & Mahmetem, Baſſam Temeſvvarienſem, B. ſenæ & Croatiæ vicinæ, cum mandatis belli perſequendi, præficeret; & Beglerbegum Græciæ ipſi auxilio cum exercitu proficiſci: Budenſem verò Baſſam & cæteros, arces limitaneas præſidijs munire, & collectum militem in caſtra educere, & Sinami Baſſæ Veſirij, in Vngariam ſuo loco profecturi, imperio parêre iuberet. Itaq; noſtri, cùm poſt profligatos ad Siſëccum Turcas, duorum ſerò menſium reſpirandi ſpacio ijs conceſſo; tandem ferè Petriniam caſtellum, Hraſtovvizia vicinum, ad Colapin fl. ſuperiori anno à Turcis munitum, obſidere cœpiſſent; poſt paucos dies, ab exploratore Turca, ſpontè ſe ipſis offerente, quem tamen rurſus è manibus elabi patiebantur, audientes Græciæ Beglerbegum aduentare, etſi magnis in anguſtijs Turci obſeßi, pyrio puluere deſtituti erant; ac de deditione iam inter ſe deliberabant; mox relicta obſidione retroceſſerunt. Hæc fama renouati à Turcis belli, & Conſtantinopoli ac Budæ publicati, cùm in Germania percrebuiſſet: depoſita tandem cunctatione hactenus vſurpata, Conſtantinopolin verſus, penſio annua, intra biennium non ſoluta, Calendis Auguſti Viennâ Gomorrham delata eſt. Sed mox adferebatur, nouos exercitus Turcicos, Sinamo Baſſa Imperatore, in Vngariam Budæ vicinam penetrare, & Græciæ Beglerbegi, quæ anteceſſerant in Croatiam, copias;

non Petriniam ſolùm obſidione liberatam conſeruaſſe, verumetiam Siſſeccum vi expugnaſſe, ac præſidiarios omnes, atq; in his aliquot Germanos, immaniter trucidatos & conciſos in Colapin præterlabentem abieciſſe. poſtea Sauum transgreſſas, ad Sagabriam vsq;, direptionibus ac incendijs graſſatas, circiter quinquies millia hominum in triſtiſsimam ſeruitutem abduxiſſe: & Sagabriæ obſidionem ſingulis momentis expectari. Aliæ igitur rationes auertendi hoſtis ineundæ, & bellicæ defenſionis conſilia, acriore animo ſuſcipienda fuerunt. Quotidie enim, Pegaſarijs curſibus, Pragam, honeſtiſsimi viri, Franciſcus Nadaſtus Vngarorum procerum Dux fortiſſ. Præfectus Iaurini, Ferdinandus comes ab Hardec, Stirij, Carni, Carinthij & alij, conuolantes, magnitudinem periculi à Turcis imminentis exaggerabant, & niſi celerrimis auxilijs ab Imp. iuuarentur, extrema ſe neceſsitate, ad deditionem Turcis faciendam, ineuitabili neceſsitate coactum iri, querebantur. Imperator itaq; ex Boemis, Sileſijs, Morauis, Auſtrijs & cæteris hæreditarijs ditionibus quamplurimos militiæ equeſtri ac pedeſtri nomina dare iubet, & præſidia in arcibus limitaneis auget, & legatos ad electores Imperij de comitijs Ratisbonæ celebrandis, & Turcica immanitate, coniunctis Romani Imperij auxilijs à reliqua Germania & orbe Chriſtiano depellenda mittit. & maiores equitum peditumq; copias

ad

ad ver ſuturum conducit: cùm Sinamus Baſſa, Veſprimo & Pallatta iam expugnatis, omnino Viennam ſe progreſſurum conſtanter minaretur.

VVESPRINIVM, cui Ferdinandus Samaria, & Georgius Andreas ab Hoffkirchen, cum præſidio 1200. militum præerant: Sinamus Baſſa 22. Septembris obſidere cœpit; trinis caſtris, prope vrbem, in vias militares, Rabam, & Palattam ducentes, poſitis. Noctu excitatis aggerib. ac duodecim machinis maioribus in eos ſubuectis muros quatere tormentis Turci cœperunt, & præcipuum VVeſprinij tormentorum magiſtrum in propugnaculo pila percuſſum trucidarunt. Cumq; eo die parùm profeciſſent, poſtridie promotis propius ad murum aggerib. ex diuerſis ſex locis ita tormentis fulminarunt, vt tutò conſiſtere in muro & propugnaculis nemo ferè poſſet. deinde, aliquot impreßionib. tentatis, tandē imbre largiſsimo, impedita ſclopetorū eiaculatione depulſi ſunt. Quarto obſidionis die illuceſcente, magno impetu oppugnationem Turci renouarunt, & conſcenſo iam muro vexillū defigere conati, à noſtris reiecti ſunt. Depulſi, globos ignitos in portā & ædificia lignea immiſerunt, & muros propè portam ad ſolum vſq; deiecerunt, ac repetitis iuxta portam & arcem & alibi oppugnationib. præfecti & militū animos ita langueſecerunt, vt deſperata defenſione, quia præſidij nihil à vicinis Rabæ & Pappæ præfectis appareret: nocte ſecuta ſecreto exitu VVeſprimio

G 2 *egreßi,*

egreſſi, fuga ſibi ſalutem quærerent. Sed Turci excitati, fugientes aſſequuntur, plurimos concidunt, præfectum ipſum Ferdinandum Samariam & alios capiunt. Euaſerunt Pappam incolumes Germani circiter 40. Vngari 54.

Pridie Michaelis Palatã Turci cinxerunt. Vbi ſtatim duo Vngari ad eos tranſeuntes, vbi commodiſsimè tormentis arx peteretur, indicaſſe ſcribuntur. Cùm verò Baſſa, literis in arcem miſſis, præſidiarios 400. ad faciendam deditionem, quod tamen fruſtra repugnaturi eſſent, hortaretur: & incolumitatem diſcedentibus, & ſaluum conductũ promitteret: ſponte tradita arce egreſſi, per milliare vnum incolumes deducti, poſtea ſigno dato, vniuerſi ferè trucidati ſunt, vt ex omni nũmero tantùm viginti quatuor ſalui euaderent.

Secutæ ſunt res paulò ſecundiores. Cùm enim Sinamum Baſſam, ingruente hyeme, militem in hyberna duxiſſe, ac ipſum, ab Amurate reuocatum, quòd Perſæ ac Georgiani res nouas molirentur, Conſtantinopolim Pegaſario curſu contendiſſe, ex captiuis ac exploratoribus intellectum eſſet; Ferdinandus comes ab Hardeć, ſummus exercituum Vngariæ inferioris Imperator, adiunctis ſibi Huſani Petri, Pappæ præfecti: Nadaſti; comitis Serinij; Palfij, & aliorum ducum copijs: ALBam Regalem verſus ducit. cuius ſuburbiorum, ac in ijs domicilium habentis Begi ſeu præfecti

ſecti vrbis ac viciniæ, potiundi ſpes oſtenſa fuerat. Miſſo igitur ad oppoſitam vrbis partem Huſaro Petro, inuadere ſuburbium media nocte iubet, qua ipſe etiam, oppugnationis ſignum ab aduerſa parte daturus ſit, vt obſeſſorum in ſuburbijs animos & vires diſtractas facilius opprimant. ac ſuburbium vnum Huſarus occupauit & incendit. Defendentibus verò vrbem Turcis, viſum eſt noſtris, nec commeatu, nec munitionibus ad vſus neceſſarios inſtructis, ab vrbe diſcedere. Cumq́ꝫ duo fere miliaria retroceßiſſent: Poſtridie adfertur nuncius, Turcas magnis agminibus inſequentes, prælio fugientes aggredi decreuiſſe. Itaqꝫ noſtri ſubſiſtunt, deliberant, aciem inſtruunt, hoſti aduentanti occurrunt. ac fortiter dimicantes, DEO terrorem hoſtium animis incutiente, Ianizaros in fugam vertunt, & victoriam nobilem obtinent 24 Octob. Iuliani. Aga Ianizarorum captus, retulit, Baſſam Budenſem prælium diſſuaſiſſe, ſed militum confligere omnino cupientium importunitate & minis coactum, in prælium deſcendiſſe, quem tribus vulneratum ſclopetorum ictibus poſtea Budæ obijſſe opinio fuit. Interfuerunt prælio, præter Baſſam Budanum, Sanzachi ſeu Begi, Albæ Regalis, Strigonij, Peſti, Quinqueeccleſiarum, Moachij, Filleccij, Nouigradi, Zeſchen, Copani, Zolnocci, Segedini, &c. De numero cæſorum nihil adfirmo. Ferdinandus comes ab

Hardec parta victoria Iaurinum Rabam redijt.

In ſuperiori verò Vngariā Fridericus baro à Tieſſenbach, munitam arcem Zabacca, vi expugnatam, Turcis ademit. vbi vnius diei quiete interpoſita, ad Filleckum arcem & oppidum celebre, duobus inde miliaribus diſſitum, Sanzachi Turcici ſedem, copias duxit. Vbi concurrentes auxilio obſeſſis ex vicinis præfecturis, Turcarum copias poſtridie Martini profligarunt: & admotis ad muros machinis oppidum oppugnare cœperunt. Sed hoc Turci ipſi incenderunt, & deſerta arce ima, ſuperiorem ſolùm defendendam ſuſcipientes circiter 800. præſidiarij, tandem pro incolumitatem corporum Chriſtianis dediderūt. Cuius deditionis fama, vicinos, qui caſtella Diuni & Hamaſci tenebant, Turcos impulit, vt ſpontè diffugerent. Inde ad oppidum & arcem Zetſchen, alteram Sangiaci Begi ſedem, exercitus ductus, eam occupauit cum vicinis caſtellis Holloc, Samos & Plavenſtein, quæ præſidiarij ſpontè deſerentes hoſti venienti aperta reliquerant. Exeunte menſe Nouigradum, (Nogard vulgò vocant) itidem Sangiacatus celebris, in noſtrorum poteſtatem venit. Turci etiam aliquot, ex Alba Regia, Begum nouum, in arcem Palattam recens occupatam deducentes, ab Huſaro Petri, Pappæ præfecto, menſe Decembri fortiter profligati ſunt. Sed cum ob anni tempus incommodius

&

& pluuijs aſsiduis auctam viarum profunditatē, machinæ bellicæ prouehì, ac exercitus ſub dio contineri diutius nequirent; in hyberna vtrinq; conceſſerunt. Interea Budæ, magno deſiderio, Sinam Veſirius Baſſa expectabatur. Verùm eo Conſtantinopolin progreſſo, Græciæ Beglerbegus tandem Budæ, cùm copijs non maximis, appuliſſe ſcribitur.

BELLI CYPRII INTER VENETOS ET TVRCAS ANNO 1570. ET 1571. geſti.

CYPRVS à Cupro, ſeu fodinis metallorum celebribus, nomen habens; generoſiſsimi vini, tritici, olei & ſaccari ferax; & verè Macaria Inſula, ſub eleuatione poli triginta quinque graduum, in ſinu Iſsico, à Syria viginti milliaribus Germanicis, ipſa in longitudinem quinquaginta miliarium Germanicorum porrecta. latitudine alicubi decem aut duodecim miliarium, alibi anguſtiore.

Salamin vrbs Cypri, à Teucro Æacide condita, reges Teucridas longa ſerie habuit; Ex quibus Euagoras & Nicocles, Iſocratis orationibus celebrantur. Teucridis Ptolemæi, his Romani ſucceſſerunt. in quorum imperio, tametſi grauiſsimè à Saracenis infeſtata, vſque ad Andronici Commeni & Henrici VI. Imp. ætatem manſit. Nam circa annum Chriſti milleſimum centeſimum nonageſimum, Richardus, Henrici II. filius, Angliæ rex, in Palæſtinam nauigans, cùm ab ingreſſu Inſulæ per Iſaacum Com-

Commenum illius præfectum arceretur, vi eam occupauit. & poſtea Guidoni Luſignano, Almerici regis genero, qui vrbem Hieroſolymam amiſerat: ipſi inanes regni Hieroſolymitani titulos cedenti tradidit. Huius Guidonis poſteri deinceps, ducentos quinquaginta annos Cyprum tenuerunt, vsque ad Petrum, à Sultano Ægypti captum, & ſub tributi conditione reſtitutum.

Petrus
|
Helena Palæologa ——— Petrus. patri defuncto adhuc impubes ſucceſsit.
|
Carlotta, nupta primùm Ioanni Luſitano. deinde Ludoico Sabaudo, qui aliquandiu rex Cypri fuit.

Iacobus ſpurius, à Sultano Ægyptio adiutus, Ludoicum eiecit: Hic Iacobus, Cypri rex, Catharinam, Marci Cornelij filiam à Senatu Veneto adoptatam, vxorem duxit, eáq; grauida 1470. deceſsit. Poſthumi & totius regni curam Senatus Venetus ſuſcepit, eóque mortuo in prouinciæ formam Cyprum redegit. Catharina mater Venetia reducta

ducta, vſq; ad annum milleſimum quingenteſimum decimum ſuperſtes fuit,

Selymus I. Turcarum Imperator cùm oppreſsis Sultanis, Ægyptum occupaſſet: Tributum, quod antea Sultanis pendere Cypri reges in mercibus ſolebant, in octo millia ducatorum conuertit; tranquillamque Cypri poſſeſsionem Venetis, tanquam vaſallis, pactione annui tributi obligatis, conceſsit. tametſi octo millia illa Veneti, non tributum, ſed honorarium munus ſolummodò eſſe volebant.

At hic Selymus II. Cyprum à Venetis per fecialem repetens, feudum regni Cyprij, quod ſub pactione annui tributi hactenus poſſediſſent, iure eos amiſiſſe, idq; ad patronum & dominum ſuperiorem recidiſſe adfirmabant. Quod contra fidem Domino feudi debitam, Veneti Cyprum hoſtibus Selymi, piratis Hiſpanis, patefeciſſent, qui prædam ex Cilicia abactam, permiſſu magiſtratus Veneti, in Cyprum conuexiſſent, ac vendidiſſent. Etſi igitur ſuperiores aliquot Turcarum Cæſares in inſula ſua Venetos toleraſſent: Selymum tamen quod ſuum eſſet ab eis repetere. Id ſi ſpontè & volentes redderent, pacem non violatum,

tum, & Reipublicæ ac ſubditorum ſaluti optimè conſultum iri. Sin recuſarent, Selymum armis eam nihilominus recuperaturum eſſe. Veneti, quamuis continua aliquot annorum caritate & penuria annonæ, & ſuperiore anno etiam nauàlis ſeu Arſenalis ſui horrenda conflagratione grauiter afflicti & perculſi erant: tamen magno & excelſo animo reſpondent, nullam habere Selymum iuſtam cauſám eripiendæ Venetis Cypri, quam hæreditario iure iam centum annos tranquillè poſſediſſent. Penſionem annuam, Ægypti Sultanis præſtari ſolitam, non tributum, vt domino feudi debitum, ſed honorarium munus fuiſſe, quo gratitudinem ſuam ſuperiores Cypri reges, erga Ægypti Sultanos benefactores & amicos ſuos, quorum ope Petrus olim Cyprum recuperaſſet, declarare ſoliti eſſent. Sperare ſe DEVM iuſtæ cauſæ ſuæ adfuturum, cuius fiducia vim atq; iniurias Selymi armis propulſare & Cyprum defendere decreuiſſent.

Quo reſponſo Byzantium delato, omnes Veneti mercatores capti, eorumque merces depoſitæ, & Pialis maris præfectus, cum claſſe; Muſtapha cum exercitu terreſtri, per Aſiam & Ciliciam,

ad

ad Cyprum accedere iubentur. Venetijs interea Petrus Lauredanus Princeps Reipublicæ, ſub cuius imperio multæ triſtes calamitates acciderant, & grauiores imminebant, animi dolore & mœſtitia extinguitur, cui ſumma cum totius populi gratulatione & lætitia Ludoicus Moceniga ſuccedit. Summus Imperator belli aduerſus Turcas in Cypro gerendi conſtituitur Hieronymus Zanius, cruda viridique ſenecta fere octogenarius, qui Iaderam & Corcyram lentè progrediens, dum reliquæ naues conuenirent, ocioſus deſidet. tandem Cretam verſus curſum dirigit, vbi Pontificis, Hiſpaniæ regis, & Coſmi Florentiæ ducis auxilia expectare iubetur.

Interea Pialis Turcicus Amyralis, Rhodo præſidijs munita, ad Macarium in Cypro Calendis Iunij appellit, & terreſtrem exercitum ac equitatum Muſtaphæ in inſulam nemine reſiſtente tranſportat: Veneti Nicoſiam, quæ regis & Archiepiſcopi ſedes proximis ſeculis fuerat, ſeptem miliaribus Germanicis à littore diſtantem, paulò ante vndecim propugnaculis, & præſidio circiter duorum millium militum Nicolao Tandulo,

dulo, & Aſtore Baleonio ducibus impoſito, munierant. Hanc Muſtapha, potitus agro Cyprio ſine controuerſia, obſidet, & caſtellis circa vrbem pluribus erectis, acerrimè totum menſem oppugnatam vi capit, & reparatis captæ vrbis munitionibus, ac præſidio impoſito, curſum victoriæ vrgens, die 16. Septembris Famauguſtam obſidere incipiebat.

Quo die Chriſtiani cum ducentarum nauium claſse ad Cretam hærētes, ignari eorum quæ in Cypro accidiſſent, tandem ab Heraclea Sentia ſoluentes, & paululùm progreſsi Ludoicum Bembum obuium habent, qui Nicoſiam amiſſam nunciat. Duces igitur, Hieronymus Zanius, Iohannes Andreas Auria, M. Antonius Columna, & cæteri, concilio habito, diſtantibus ſententijs & ignauis conſilijs, tempeſtate inſuper horribili claſſem diſijciente, omnem rei præclarè agendæ occaſionem amittunt. Diſputant, autumno iam præcipitante, & imminente hyeme, periculoſam eſſe maris Pamphylij nauigationem: nuſquam ſi quid ſecus accideret tutos portus: Turcas victoria recenti elatos, animoſius pugnaturos eſſe, & portus amicos vbiq; habere. nec ex Cypro vlla ratione

aut

aut conſilio iam depelli poſſe. Se non
recuperanda amiſſa, ſed ferendam
pem, ne amitterentur, Venetis auxi
miſſos eſſe. Ea occaſio cum elapſa ſit,
deri rectiſsimum, in Cretam & ſinum
driaticum redire. Auria etiam ſibi à r
ge Hiſpano mandatum eſſe dicebat,
exeunte Septembri claſſem reducer
omni igitur recuperandæ Cypri conſil
abiecto, Chriſtiani duces, retro vela l
gunt, vbi tetræ ventorum procella
claſſem, priusquam ad Cretam appell
ret, denuò diſiectam duriter adflixerū

Vbi in Cretam ventum eſt, Auria fa
cultatem diſcedendi, & regis ſui man
dato, de maturè reducenda Meſſanan
claſſe parendi, à Veneto Imperatore pe
tit, & obtinet. Hunc aliquot interiecti
diebus, relicto in Creta cum poteſtat
ſumma Sebaſtiano Venerio, Hieronym
Zanius conſequitur, cui Corcyram ap-
pellenti imperiū Senatus Venetus igno-
minioſè abrogat, eumque Venetias ca-
ptiuum duci iubet.

Sic toto anno inutiliter abſumpto, &
infinitis ſumptibus à Venetis fruſtra
profuſis, Chriſtiana claſsis, milite claſ-
ſiario, ducibus, armis, pecunia, com-
meatu inſtructiſsima, ſummam totius
Europæ

Europæ expectationem de ſe conceptã, diſcordibus & ignauis conſilijs, partim tempeſtatibus, partim lue peſtilenti, quæ multa millia remigum & epibatarum abſumpſit, fruſtrata eſt. Pialis cùm Auriam & Venetos ex Creta diſceſsiſſe per exploratores didiciſſet, Rhodum, ac inde per Cyclades Bizantium redijt. Muſtapha, qui capta Nicoſia, curſum victoriæ vrgens, Famauguſtam oppugnabat: relictis in portubus & inſula præſidijs neceſſarijs, militem in hyberna dimittit. Veneti verò, claſsibus ſuis, re infecta, domum reuerſis, Triumuiros capitales, inquirendis & puniendis omnibus, quorum culpa in claſſe anno ſuperiore res bellica vitioſè adminiſtrata, & tanta clades ac dedecus Veneto nomini allatum eſſet, conſtituerant. Pacem cum Turcis per Iacobum Raggazonum miſſum Conſtantinopolin ad Mahometem Baſſam, qui æquior Venetis videri volebat, fruſtra ſollicitarant. Romæ igitur confœderationem inter Pontificem Pium V. Philippum regem Hiſpaniæ, & Venetos ſumma cura & diligentia procurant. domi pecuniam varijs rationibus conficiunt. Corcyræ triremes inermes reparant. Summam

Summam imperij Sebaſtiano Venerio Cretæ præſidi committunt. Interea Pertai Baſſa, ſummus maris Præfectus à Selymo conſtitutus, copias Turcarum nouas in Cyprum exponit, & Muſtapha, terreſtris exercitus Imperator acerrima obſidione Famauguſtam cingit; quam pro Venetis M. Antonius Bragadenus, Aſtor Baleonius, Ludoicus Martinigus, Laurentius Teupolus, lectiſsimi duces, fortiſsimè defendebant.

Eſt autem FAMAVGVSTA, in orientali inſulæ ſinu, ad mare Syriacum ſita, non procul à Conſtantia, Epiphanio epiſcopo clara, quam Salaminem olim â Teucridis regibus aliquot ſecula habitatam fuiſſe exiſtimant. Famauguſta per Henricum, ex Luſignana familia, Cypri regem, circa annum Chriſti milleſimum ducenteſimum nonageſimum quintum, amiſſa Ptolemaide (quæ dum à Chriſtianis teneretur, emporium, in quo Orientis & Occidentis merces commutabantur, clariſsimum erat) extructa & amplificata eſt, quam Venetis ac Genuenſibus alijsque Occidentis mercatoribus in Aſia negociantibus, portum tutum ac domicilium, conceſsis immunitatibus attribuit. Hanc natura loci & arte à

te à Venetis munitam, potentiſsimus Turcarum exercitus hoc tempore oppugnans, in eas difficultates & anguſtias tandem fortiſsimè ſe defendentes Famauguſtanos, vndecim iam menſium oppugnationibus fractos & debilitatos, & omni ſpe auxiliorum fruſtratos, redegit, vt pacta vitæ & bonorum, & religionis ſuæ incolumitate, & libera ijs, qui vellent, diſcedendi poteſtate, vrbem Muſtaphæ dederent.

Sed Barbarus violata fide deditis data, duces & magiſtratus Venetos, cum comitatu fortiſsimorum commilitonum ad ſe in tentorium venientes (quibus acceſsuris nominatim ſaluum conductum promiſerat) omnes trucidat, excepto M. Antonio Bragadeno, cui ter ceruicem præcidendam porrigere iuſſo, aures & naſum ſolummodò amputauit. Chriſtianos reliquos, fiducia pacis in caſtra egreſſos, circiter trecentos ſimul iugulari iuſsit. Eos verò, qui iam naues in Cretam abituri conſcenderant, ademptis omnibus bonis, vinctos ad tranſtra relegat. Poſtridie vrbem ingreſſus, Teupolum ſtrangulari iubet. Summo vrbis præfecto Veneto M. Antonio Bragadeno, auribus & naribus mutilato, cùm

H per

per loca vrbis celebriora eum ludibrij cauſa circumduxiſſet, & varijs atrocibusque contumelijs vexaſſet, pellem tandem viuo, & conſtantiſsimè ſupplicium immane perferenti, & Deum teſtem ac vindicem tantæ perfidiæ & crudelitatis Muſtaphæ, vocanti, detraxit.

Dum hæc in Cypro aguntur, claſsis Turcica, vt Venetos à Cypro auerteret, mare Adriaticum ingreſſa, Dalmatiæ vrbes Venetis parentes terra marique infeſtabat. Chriſtianorum verò principum confœderatorum claſsis, lentè in Sicilia tandem congregatur cuius dux ſummus Ioannes Auſtriacus, Caroli V. filius nothus, Philippi frater, paulò ante Barcinone ex Hiſpania ſoluens, Rodolphum & Erneſtum, Maximiliani II. Imperatoris filios, Genuam ſecũ tranſportarat. Inde Neapolim & Meſſanam profectus ſocios expectabat, donec Venetæ triremes quadraginta ex Creta reuocatæ, & aliæ ſexaginta octo, Neapolitanæ triginta, Panormitanæ duodecim, Genuenſes totidem Iohanne Andrea Auria ducente, Pontificiæ duodecim Marco Antonio Columna duce: Melitenſes quatuor, ac cæteræ Hiſpanæ conueniſſent. Tandem die 4. Septembris

bris Meſſana ſoluens & Salentinum Laciniumque promontorium legens ad Corcyram, inde Cephaleniam, & tandem in ſinum Naupacteum ſeu Corinthium, vbi Turcicam claſſem commorari intellexerant, ad Echinadas inſulas accedit. In Turcica claſſe duces præcipui, Ali Baſſa Amiralis, Pertai Baſſa, Luzalis rex Algieræ, Hamſamus filius Barbaruſſæ, Sirochus Alexandrinus, & alij eminebant, quibus Imperator Turcicus, vt prælio nauali Chriſtianam claſſem adorirentur ac peſſundarent, ſeuериſsimè mandarat.

Congreſsi igitur cum Chriſtianis, in ſinu Corinthiaco, Nonis Octobris, Deo victoriam Chriſtianis memorabilem ac inſignem tribuente, Turcæ victi ac profligati, prætoria vi expugnata, Hali Baſſa trucidatus, & aliquot millia captiuorum ex Chriſtianis gentibus, qui remos in claſſe Turcica ducebant, liberata ſunt. De qua victoria, paſsim in tota Europa, gratiæ Deo, vt decebat, ſolenniter actæ, & publicis lætitiæ ſpectaculis editis, triumphatum eſt, tametſi veſtigium pedis nullũ de Turcici tyranni imperio decerptum, victores occuparant. Turci verò, vniuerſum Cypri regnum, & multa

Dalmatiæ oppida, ac in his Vlcinium & Docleam, à ſe expugnata, retinerent.

Sequenti anno 1572. Veneti potentiam hoſtis Turcici à quo terra mariq́ue premebantur, conſiderantes, omnia ad bellum neceſſaria rurſus apparant. Sed cum in Belgico & Gallia ciſalpina noui tumultus Philippum Hiſpaniæ regem diſtinerent, & ſociorum auxilia iterum tardius accederent, & Ioannes Auſtriacus circa Calendas Septembris demum adeſſet, & ſociæ claſſes circa Peloponneſum vix oſtendentes ſe Turcis, nulla re memorabili geſta, in hyberna redijſſent; Veneti, ſe deſeri videntes, pacem cum Selymo inſcijs ſocijs fecerunt.

De qua, cum varia multorum, pro cuiusq́ue ingenio ac ſtudio, iudicia eſſent: Marcus etiam Antonius Columna, qui Pontificiæ claſsis dux, & Ioannis Auſtriaci, in ſummo totius naualis exercitus imperio, collega fuerat; vehementer eam ſe improbare, & victoriam adeo nobilem aduerſus Turcas, conſtanti bello perſequendam fuiſſe; tum in familiaribus colloquijs, tum literis ad Vbertum Folietam veterem amicum datis, oſtenderat: quibus reſpondens Folieta,

licta, occaſionem inde ſumpſit de cauſis magnitudinis Imperij, & felicitatis Turcarum in bellis perpetuæ, prolixius diſſerendi; & ſapientiſsimis ſententijs ac verbis accuratè elaboratam lucubrationem edendi. Quæ eximiæ ac ſingularis prudentiæ ac eloquentiæ ſpecimen eſt, lectu digniſsima, & cum eximiæ vtilitatis ac voluptatis fructu coniuncta.

FINIS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIPSIÆ

IMPRIMEBAT MICHAEL LANTZENBERGER,

Impenſis Henningi Groſij.

Anno

M. D. XCIIII.

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
20 SET 1968